10
2 M
8

10, ~~3 6 4~~

DE SCHISMATE

OMNIVM LONGISSIMO PERNI-
CIOSISSIMOQVE, QVOD IN ECCLESIA RHOMANA
inter Vrbanū Papam, & Clementem Antipapā, eorumq́ꝫ ſuc-
ceſſores, per XXXIX. annos, ſcilicet ab anno Chriſti 1379. uſ-
qꝫ ad Conciliū Cōſtantienſe uiguit atqꝫ durauit, LIBRI III.
Non ſolum Pontificū, uerū etiam Regū, Principum,
ac totius imperij res geſtas eius temporis magna
ex parte continentes.

Authore THEODORICO A' NIEM,
qui toto eo tempore ſemper alterius partis Pontifi-
cibus familiaris, atqꝫ à literis fuit, eóqꝫ quæ gere-
rentur omniū certiſſime cognoſcere potuit.

•

Habes hic ſtudioſe lector, Rhomanorum, Cardinaliū, ac totius Cu-
riæ Rhomanæ, ingenia, mores, artes, reliquaq́ꝫ ornamenta, quibus uſi, ec-
cleſiam hactenus tam feliciter adminiſtrauerunt, ſimplici ueritatis orati-
one ita ob oculos poſita, ut nullus Appelles uiuidius repræſentare potu-
erit. nam Author omnem uitam in Curia Rhomana contriuit. Tu mo-
do lege, cognoſce, iuuaberis. Vale.

Opus nunc primū excuſum. Anno Chriſti
M. D. XXXII.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Iohan. Petreius Lectori.

Incidimus nuper in hiſtoriam Theodorici à Niem, quam ille, fide, ut apparet, optima, de ſchiſmate inter Vrbanum VI. & Clementẽ antipapam, eorumq́ꝫ ſucceſſores, tribus libris abſoluit. Cũqꝫ arbitraremur unicum illud exemplar ac ſolum ſupereſſe, nę tantæ rei memoria aboleretur, operæprecium nos facturos exiſtimauimus, ſi eam typis noſtris inuulgaremus. Quanquã enim ſtilus ſiue genus dictionis eius authoris non ſit exquiſitũ, ſed uulgare, & omnino pro captu eius ſeculi, ut delicato lectori faſtidio eſſe poſſit, tamen cũ in omni literarũ genere nihil ſit precioſius (ſacra ſemper excipio) quàm hiſtoria, facile credimus ſapientẽ lectorẽ, utilitatem uoluptati præpoſiturũ, præſertim in hac hiſtoria, in qua multa de Pontificibus Rhomanis author uelut inuitus memorat, aperte præfatus, niſi ueritas, quæ in hiſtoria quã diligentiſſime cõſeruari debeat, hoc exegiſſet, ſe libenter in gratiã eorũ taciturũ fuiſſe. Neqꝫ eñ temere inuenias, qui tã incorruptã hiſtoriæ ueritatẽ præſtare uel poſſit uel etiã uelit. Iſte uero autor hoc optime potuit, quippe qui à Gregorij XI. temporibus uſqꝫ ad finem prædicti ſchiſmatis, quod per XXXIX. ferè annos durauit, ſemper alteri Pontificũ à literis fuit. Summa uero integritate & alacritate hoc etiã præſtare uoluit, quippe uir probus, pius, & ueritatis amantiſſimus, id quod paſſim ex ipſius ſcriptis certo certius deprehendere licet. Admixta ſunt multa eius temporis geſta Regum Rhomanorum, Tartarorum, & Turcarũ cognitu iucundiſſima, ut ſi nihil aliud uel ob hoc ab interitu uindicari debuit, ut eſſet uelut cõmentarius, ijs qui elegantiorem hiſtoriã ſcribere uellent, unde ſuperioris ſeculi res geſtas deſumerẽt, propoſitus. Quem quia doctis & literatis gratum fore arbitrati fuimus, eius æditionem cum ſumma diligentia maturauimus. Vale.

Papæ Rhomani.	Ann.	Menſ.	Antipapæ.	Ann.	Menſ.
Vrbanus VI.	11.	8.	Clemens	11.	
Bonifacius IX.	14.	9.	Benedictus XIII.	26.	
Innocentius VII.	2.	0.			
Gregorius XII.	2	7.			
Alexander V.	0	11.			
Iohannes XIII.	5.	10.			

PRAEFATIO AVTHORIS AD R. N. N.

QVia ſæpe paternitas tua me rogauit, ut ego (qui toto ferè tempore fe. re. Gregorij Papæ XI. ac poſt cum ſchiſma nouiſſimum in uniuerſali eccleſia ſuſcitatum eſt, præſens in Romana Curia per XXX. annos uel circa in obedientia quondam Vrbani Papæ VI. ſuorumq́ ſucceſſorum remanſi) qualiter ſchiſma huiuſmodi ortum habuerit, & Vrbani ac ipſius ſucceſſorum prædictorum, & Clementis de Gebenna uulgariter nuncupati, & ſui ſucceſſoris immediati Petri de Luna geſta, & quæ ipſis contendentibus de Papatu in diuerſis regionibus contigerunt, de quibus haberem noticiam, eſſentq́ memoria digna, ac ortũ & progreſſum nuper unionis in ipſa eccleſia factæ per ordinem tuæ dilectioni facti ueritati, & non ſucco ſeu fuco dictaminis inhærendo deſcriberem. Quod licet fuit mihi ſatis arduũ, imò exceſſit uires meas, quia tamen ſcriptum eſt, Omni petenti tribue, & qui amicus eſt ſemper diligit, tuis precibus acquieſcens hoc opus aggreſſus ſum, meis imbecillibus humeris non mediocriter ponderoſum, qui iam ſenio confractus à laboribus manum retraxi, petens ut iucundum tibi ſit eloquium meum. Et ſi forſan tibi diſplicẽtia in hoc labyrintho reperias, propterea non turberis, quia illi qui conſcribũt hiſtorias ne à ueritate recedant, ſæpe recitant quæ mallent potius obticere. Multas etiam digreſſiones feci deſcribendo hiſtorias, aliquãdo etiam ad alias materias procedendo. Solent enim aliquando talia legentes reficere, ſicuti aliquod ſapidum & extraneum menſæ appoſitum ferculum allicit conuiuantes, in quibus ſi prolixior fui quàm debui hoc imperitiæ meæ audacter aſcribas. Nec ꝓpterea credas, quòd ea quæ utcunq́ tenualiter ſcripſi uera non ſint. Sed quanta ſit utilitas in lectione hiſtoriarum, tradit antiquitas, ut Saluſtius in exordio ſui libri de bello Iugurtino, ubi dicit: Cæterum de alijs negocijs, quæ ingenio exercentur, in primis magis uſui eſt memoria rerum geſtarũ. *Vtilitas hiſtoriarũ.* Hæc profectò gens Iudaica experta eſt ſub rege Aſuero, ut Heſter canit, ubi dicit: Noctem illam duxit rex inſomnem, iuſſitq́ ſibi offerri hiſtorias & annales priorum temporum, quæ cum illo præſente legerentur, uentum eſt ad illum locum, ubi ſcriptum erat, quomodo nunciaſſet Mardocheus inſidias Bagathon & Thares eunuchorum regẽ Aſuerum iugulari cupientium, quod cum rex audiſſet ait, quid pro hac fide honoris ac præmij Mardocheus mercedis accepit? ſtatimq́ *Hiſtoria Heſter.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quid eſt inquit in atrio? Amon quippe interius atrium domus regiæ intrauerat, ſuggeſturus regi ut iuberet Mardocheum ſuſpendi patibulo, quod erat ei præparatum. Reſponderuntq́ꝫ pueri: Amon ſtat in atrio. Dixitq́ꝫ rex, ingrediatur. cumq́ꝫ eſſet ingreſſus ait illi: Quid debet fieri uiro quem rex honorare deſiderat &c. Ecce per hoc innocens Mardocheus ſaluatus, & Amon ipſe ſuſpenſus eſt, cadens in foueam quam alteri præparauit, & demũ per hoc tota ipſa gens Iudaica aliàs regis imperio trucidanda reſeruatur. Quis enim fecit magnificos ac glorioſos patriæ ac gentis ſuæ liberatores Machabeos, niſi paterna inſtructio, ut legitur 1. Machabeorum ij. quia pater illorum quinq́ꝫ fratrum eis recitauit hiſtorias atq́ꝫ opera ſiue geſta ſuorum prædeceſſorum in gente ſua, ubi ait: Nunc ergo ô filij æmulatores eſtote legis, & date animas ueſtras pro teſtimonio patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis, & accipietis gloriam magnam & nomen æternum. Abraham nonne in tentatione inuentus eſt fidelis &c. Sic etiam Sapientiæ XIX. Salomon tangit hiſtorias patrum, ſicut dicit: Quomodo cum ipſi reuerſi eſſent, & permiſiſſent ut ſeducerent, & cum magna ſolicitudine præiuiſſent illos, conſequebantur illos pœnitentiæ actus. Adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuorum aliam ſibi aſſumpſerunt cogitationem inſcitiæ, & quos rogantes proiecerant, hos tanq́ꝫ fugitiuos perſequantur. ducebat enim illos ad hunc finem digna neceſſitas, & horum quæ acciderant commemorationi amittebant, ut quæ deerant tormentis repleret punitio &c. Similiter in Eccleſiaſtico laudabilis habetur ueterum patrum cõmemoratio in diuerſis capitulis, & incipit ibi: Laudemus uiros glorioſos & parentes noſtros in generatione ſua, multam gloriam fecit dominus, magnificentia ſua à ſeculo dominantes in poteſtatibus ſuis, homines magni uirtute & prudentia ſua præditi nunciantes in prophetis dignitates prophetarum, & imperantes in præſenti populo, & uirtute prudentiæ populis ſanctiſſima uerba &c. Hæc etiã propheta cognoſcens, dicit quanta mandauit patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis, ut cognoſcat generatio altera filij qui noſcentur & exurgent, & narrabunt filijs ſuis, & ponent in deum ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum dei &c. Si enim huiuſmodi laudabilia & memoranda geſta ueterum conſcripta non eſſent, eorum memoria cum ſonitu perijſſet, nec humanus animus de geſtis ipſorum releuaretur, quia per tales ſcripturas ipſe animus ſubleuatur à ſegnicie, tædio & ſerijs rebus, ſuntq́ꝫ deſidiæ atq́ꝫ moleſtiæ ſubleuamẽ. Vnde magiſter ille, cuius acta & geſta nobis ſunt quaſi ſpeculum, Chriſtus nos docẽdo dicit: Exemplum dedi uobis, ut quemadmodum ego facio & uos ita faciatis.

Sapientiæ XIX. — *Eccleſiaſticus.* — *Prophetæ.* — *Chriſtus.*

ita faciatis. Ex hiſtorijs uetuſtis ſicut quæ proſunt homini elici poſſunt, ſic etiam pericula quæ ex actibus noſtris ſi inconſulto ageremus ſequerentur, prouide poterunt euitari, ut uiris expertis & oculatis eſt notum. Vnde in primo Rethoricorum Ariſtotelis de legibus ſtatuēdis in ciuitate habetur, quod non eſt minimum conſiderare, quia in *Ariſtotelis Rhetoricæ.* eis conſiſtit ſalus & cōſeruatio ciuitatis, & ideo utile eſt ſcire quot ſint ſpecies ciuitatum, & quales leges ſint utiles unicuiq;, & quæ nociuæ & corruptiuæ ipſarum. Ad hoc etiam utile eſt ſcire deſcriptiones terrarum, quia ex hoc poſſumus accipere gentium leges, & uidere quæ *Coſmographia.* fuerunt utiles & quæ nociuæ, nam ſicut hiſtoriæ antiquorum ſunt utiles ad dandum bona conſilia ciuitati, ita etiam ſcire leges aliorum utile eſt ad ſciendum condere bonas leges, ſed hæc non niſi per hiſtorias antiquorum poſſunt haberi. Aſſis igitur bonæ uoluntati meæ precor *Inuocat.* bone Ieſu, ad cuius laudem & honorem precipue opus iſtud aggredior, meum funda principium, perduc me ad optatum exitum, & clemēter inſpira, ut nihil loquar ficticium, ſed totum ueritati ſubnixum, qui es dux, uia, ueritas, & benedictus in ſecula ſeculorum.

Finis præfationis.

INDEX TOTIVS HISTORIAE SECVNDVM ORDINEM LIBRORVM ET CAPITVLORVM.

LIber primus initia atq; progreſſus dicti ſchiſmatis, acta quorundam eius ætatis Regum atq; Principum, & quæ ab his, qui de Pontificatu contendebant ad mortem uſq; Vrbani geſta ſunt continet.

Caput. I. lib. I. De uita moribusq; Bartholomæi archiepiſcopi Barenſis & magiſtratibus ante ſummum Pont. per eundem geſtis.

Quæ ante noui Pontificis electionem ac circa eandē acta ſint, & quo pacto dictus Archiepiſcopus electus fuerit. Cap. 2

De coronatione eiuſdē & obedientia illi tanq; uero Pont. exhibita. Cap. 3

De ſeuera atq; intempeſtiua eiuſdem initio pontificatus in Cardinales atq; epiſcopos obiurgatione. Cap. 4

De ipſius integritate atq; inſigni cōtinentia in cōtemnendis pecunijs. cap. 5

De Ottonis ducis Brunſuicen. ac Ioannæ reginæ Siciliæ uxoris eiuſdem in Vrbanum ſtudijs. Cap. 6

De inſolentia atq; auſteritate Vrbani, deq; cauſis defectionis ab Vrbano. 7

De his quæ ad extinguenda naſcētis ſeminaria ſchiſmatis ab Ottone alijsq; geſta ſint. Cap. 8

Quibus artibus Cardinales Galli, Italos in ſuam de alio eligendo Pontifice traxerint ſentiam, uide illic uaferrimum commentum. Cap. 9

Clemens. vij. Antipapa ſubſtituitur. Cap. 10

Receſſus Cardinalium ab Italia in Gallias. Cap. 11

Vrbanus nouos creans Cardinales, Neapolitanos quoſq; indigniſſ. prouehit atq; auget honoribus. Cap. 12

De conflictu militum Clementinorum atq; Rhomanorū ad pontem Tyberis iuxta urbē, atq; de cæde quorundam ciuiū Romanorum. Cap. 13

Cædes, iniuriæ atq; contumeliæ exteris in urbe à Romanis illatæ. Cap. 14

De legatione Vrbani ad Carolum Rom. ac Ludouicū Vngariæ reges auxilium orantis. cap. 15

De inſigni Clementis Antipapæ in regios legatos contumelia. cap. 16

Imperator, Hungaria, Polonia, Germania, Italia Vrbano uero pontifici obediunt. cap. 17

De morte Imperatoris ac Galliarum regis, & de ſucceſſorū ignauia. cap. 18

Quas cædes, rapinas, atq; clades partes mutuo ſibi inflixerint. cap. 19

Arx ſancti Angeli à Clemētis præfecto tradit, atq; à Romanis diruit. ca. 20

Conſiliū Vrbani de nepoti ſuo extollēdo. itē de regibus Hung. atq; Sicil. 21

Sacræ ædes in belli ſumptus ſpoliant. Carolus dux Siciliæ rex declarat. 22

Idē Carolus cū proditione Neapolim intrās Ottonē ducē p insidias capit. 23

Liberū ac uere Germanū Ottonis reſponſum. Itē bella ab eo in Italia confecta. De Ioanna eius uxore hoſtibus ſe dedente: & de quodā mago. 24

De miſeranda Ioannæ reginæ ad aras iugulatione, ac de Margarita uxore Roberti de Orthoijs. cap. 25

De ſæuitia atq; tyrannide Card. legati in Neapolitanos clericos & epos. 26

Ludouicus dux Andegauen. à Clemēte Siciliæ rex pronūciatus cū exercitu Gallorū Italiā ingredit. De fide Germanorū militū in eundem. cap. 27

Profectio Vrbani ad Neapolim deſcribitur. cap. 28

Quo

Quo pacto Vrbanus Campaniã ingreſſus à Carolo Siciliæ rege ſalutat. 29
Author in itinere à latronibus cædit, curandi gratia Neapolim petit. cap.30
Vrbanus à Carolo Siciliæ rege capitur. cap.31
Papa rurſus liberatur. cap.32
Inceſtus ac ſtuprum Franciſci nepotis Vrbani. cap.33
Franciſcus ob flagitiũ à rege damnat, per Vrbanũ rurſus reconciliat. 34
Quæ in caſtris campiſq; Tarẽtinis à Ludouico ac Carolo geſta ſint. De ſtrage militum Ludouici ob potum fontis uenenati. cap.35
Margaritæ reginæ Siciliæ inſolentia atq; auaritia notatur. cap.36
De metu ac fuga Curialiũ Vrbani ad Neapolim, ac de Pontificis authoriſq; ea de re diſſertatione. cap.37
Arcis Lucerianæ pulchritudinem, eiuſq; terræ miram ac raram fœlicitatem deſcribit author. cap. 38
De uictoria Henrici ſecundi Rom. Imp. in Sicilia, deq; eius illic tropheis. Itẽ de ueris atq; legitimis Siciliæ hæredibus ſcitu digniſſima. cap.39
De amœnitate ſaltus Luceriani ac Salernitani. cap. 40
De loco hiemationis Vrbanus cum ſuis conſultat. aap. 41
De machinatione atq; occultis tractatibus à quibuſdã plãtis cõtra Vrban.42
De parũ uerecũdis Neapolitanorũ ad Vrbanũ ſupplicationib. cap. 43
Vrbanus archiepiſcopos electores Imperij Galero donans, pleroſq; indigniſſimos tum creat Cardinales. cap.44
Sex præſtantiſſimi Cardinales Vrbano ſuſpecti carceribus duriſſ. mancipati ab authore ſuiſq; collegis Vrbani iuſſu examinentur. cap. 45
Mare Neapolitanũ nauigantibus ob pyratas infeſtũ, author cauſas diſquirit olei ex petris illic ſtillantis, quæ loci eius facies. De Aethna atq; Veſuuio montibus. cap. 46
De ſæuitia atq; auaritia cuiuſdã Achillici militis, & quo is pacto aulicos Vrbani, terra mariq; inſecutos ſpoliauerit. caq. 47
Expoſtulatio authoris aduerſus Pon. ut ſui ſuorũq; rationẽ habeat orãtis. 48
Author Neapolim rediens rurſus in latrones incidit, quos (ſeruulis ſuis male mulctatis atq; ſpoliatis) uix euaſit. Itẽ de forma ac morib. Caroli regis. 49
Cardinales carceribus educti innocentiã ſuam palam teſtati, ueniã etiãnum orantes, rurſus in ſqualentiſſ. carceres detruduntur. cap. 50
De miſerrima tortura Card. de Sangro, ac quomodo quæſtionibus ſubiectis tandem pulchro cõmento authoris liberat. Oĩa illic horroris plena. 51
De Baſilij tormentorũ præfecti uita ac moribus truculentiſſ. Itẽ de Pontificis crudelitate in Card. Venetũ ſenio & morbis fractũ, qui fidiculis quoties ſuſtollabat orabat, Chriſtus factus eſt pro nobis obediens &c. 52
De admonitione fugæ quibuſdam ſcript. bullarũ torquendis per authorem ſignificata, ac de Pontificijs ſceleribus religioſa admodũ dubitatio. 53
Vrbanus in arce Luceriana à Carolo obſeſſus, tandem per quendã Raimundũ atq; Germanos fortiſſimos liberatur. cap. 54
Quis obſidionis tempore Curialiũ ſtatus fuerit, ac de abitione authoris. 55
Epiſcopus Aquiloneñ. ab Vrbano cum Cardinalibus captus, miſereq; cruciatus, dũ Vrbanũ fugientẽ ob membrorũ tormẽtis luxatorũ debilitatem ſequi non poſſet, ipſo mandante Vrbano in itinere mactatur, atq; inſepultus abijcitur. cap. 56
Vrbanus in Siciliã traijciẽs, Panhormi cõſiſtens, captiuos ſecũ abducit, è quibus Angliæ cardinalem rebus ac dignitatibus priuatum dimittens, cæteros miſerrima detinet cuſtodia. cap.57

De genealogia Lupoldi ducis Auſtriæ, & de affinitatibus per reges Poloniæ, Hungariæ, Angliæ, atq; Hiſpaniæ contractis. Eius temporis res geſtæ obiter referuntur. Cap. 58
De morte Caroli regis ac rebus inde ſecutis. cap. 59
De liberatione Ottonis ducis eiusq́; ad Neapolim reditu, ac de miſerrima quinq; Cardinalium captiuorum cæde. cap. 60
Duorum è factione Vrbani Cardinaliũ ad Clementẽ defectio. cap. 61
Otto dux fœdus cum Apuliæ primoribus iniens regnum Siciliæ in poteſtatem redigit. cap. 62
Quid cum Marga. Caroli regis uidua eiusq́; filijs exulibus actũ ſit. cap. 63
De interceſſione matronarum atq; nobilium pro Margaretha ac pro Caroli cadauere ſepeliendo apud Vrbanum. cap. 64
Miles Ottonis à ciuibus Neapolitanis licenter ꝓditionis uindictam exigẽs, ab Ottone coërcetur. cap. 65
Principes Germaniæ multis rationibus Vrbanũ ut unioni intendat perſuadere non poſſunt. cap. 66
De Franciſco nepote ob flagitiũ pulchre dedolato. Item de Cardinale Manupelli capto eiusq́; fratre in exilium acto. cap. 67
Pulcherrima ſcituq́; digniſs. de Pontificũ in proſtituendis indulgentijs ſolertia. & q̃ ſit hic quæſtus multo uberrimus, quales item exitus hic caupones ferè ſortiantur. cap. 68
Vrbanus Siciliã profecturus muli lapſu ſolo grauiter illiſus, cũ illi æs pro militũ ſtipendijs deeſſet Romã reuertitur, illic paulo poſt moritur. cap. 69

LIBER SECVNDVS.

De patria, forma ac moribus Clementis VII. deq́; comitatu Gebenenſi in Gallia. Item de paupertate eiuſdem ante Pontificatum, & quo pacto legatum in Lombardia geſſerit. cap. 1
De miſeranda atq; atrociſſima ciuium Ceſenatenſiũ nece à militibus Greg. XI. ad illorum tutelam illic miſſis peracta. cap. 2
De auaricia Clementis ante Pontificatum, ac de truculentia tyrannideq́; Bernabouis Galeatij. cap. 3
De Clementis in militares ſuos nobiles profuſa largitione. cap. 4
Venceslai Romanorũ ac Hungariæ regis ignauia, & quo pacto à clericis expeditionis prætextu decimam exegerit. cap. 5
Petrus de Thomacellis poſt Vrbani mortem electus, Bonifacius VI. appellatur, de forma & moribus eiuſdem. cap. 6
De deteſtanda circa eccleſiaſticarũ rerũ adminiſtrationẽ Pontificis auaritia. Item de annatis & fructuum eccleſiaſticorum primitijs. cap. 7
De gratiarũ (quas uocant) prioritate ſordidiſſime diuendita, & de dolo à Curialibus circa eam rem paſſim impudentiſſimeq́; adhibito. cap. 8
Quo pacto aliæ atq; aliæ inſuper artes, doli ac fraudes à ſacerdotiorũ nuncupatoribus cõfictæ ſint. Itẽ de cãcellariæ regulis alijsq́; multis eiuſdẽ farinæ ad eandẽq́; officinã uti mire conducentia, ita cognitione neceſſaria. cap. 9.
De diſpenſationibus Romanis earumq́; auaricia ac iniquitate qui Curiæ præſidebant, omnia ſtomacho digniſſima. cap. 10
De ſordidiſſimo Bonifacij in ſignandis libellis ſupplicatorijs quæſtu. cap. 11
Nouũ cõmentum Bonifacij ad emulgendas à creaturis ſuis pecunias, illisq́; pro commodis extollendis ſpoliandis'ue. cap. 12

Bonifacius à matre omnium auariſſima non multum degenerans, diui Petri ̄p. auget patrimonium. cap.13
Idē Pōtifex ædificiorū ſtruendorū ardet inſania. Itē de inclementia eiuſdē in prælatos, Itē de Roberto Palatino Ro. rege, & de Pontificis ſorore. cap.14
De ſtatu urbis Peruſinæ eiuſq́; bellis atq; factionibus inteſtinis. cap.15
Bonifacij iuſſu Beordus fortiſſim9 Peruſinorū p̄fectus dolo obtrūcat̄. cap.16
Ladislaus à Bonifacio rex Hungariæ coronatus, rebus eccleſiæ parū inuigilans, inglorius ex eodem regno Siciliam redit. cap.17
Sigiſmundus Hungariæ rex totaq́; Hungaria ob Bonifacij perfidiam contra eccleſiaſticos tumultuantur. cap.18
Bonifacius balneandi gratia Puteolas proficiſcitur, eius balnei amœnitatem atq; ſalubritatem author deſcribens, mira in cuiuſdam mōtis uicini meatu ſubterraneo dicit ſe uidiſſe. cap.19
Balnei Puteolani efficaciam rurſus commendat, & de monte quem uulgus ueneris appellitat. Item de cuiuſdam balnei ſicci natura. cap.20
De ruinis atq; ueſtigijs ædificiorū circa Neapolim, & de monumentis Vergilij ibidem. cap.21
Tria milia hominū receptacula ſubterranea montis circa Neapolim, & quædam alia uetuſtatē teſtantia, lectu iucundiſſima ex ſententia Fran. Petrarchæ referuntur. Iterū quæ de Vergilij magia atq; monumentis uulgo dicuntur, an uera uel fabuloſa ſint iudicium eiuſdem Petrarchæ. Item urbs Neapolitana commendatur. cap.22
Author redit ad hiſtoriam quæ inter Petri Lunenſis nuncios atq; Bonifaciū acta ſint deſcribens. cap.23
Morit̄ Bonifa. nūcij Petri carceribus mācipant̄ atq; pecunia liberāt̄. cap.24
Quanto precio Galeatius à Ladislao Rom. rege ducis Mediolani nomē redemerit, & de laude Ottonis primi. Itē quo pacto Carolus 4. Ro. rex imperij iura diſſipauerit, ruinā eiuſdē imperij deplorat author ibidē. cap.25
De qbuſdā Scotis pſeudoprophetis quo pacto toti ferè Italiæ illuſerit. ca.26
Nicolaus Colunenſis contra Bonifacium urbē noctu intrans propoſito excidit, quibuſdā ſuorū comprehenſis atq; ſupplicio affectis. Illic miſerū ac crudele facinus eius qui patrem ac fratrē laqueo ſuſpendit refertur. cap.27
Iubileum uiſitantes ſpoliantur. Matronæ atq; uirgines rapiuntur atq; abducuntur à latronibus. cap.28
Cometa apparuit, Guilielmus Gelriæ, & Ioannes Mediolani duces moriuntur. Liguria inteſtinis ſeditionibus laborat. Tamberlani uictoria contra Bayzetum Turcarum imperatorem. cap.29
Tamberlanus Tartarorum rex Damaſcū capit atq; diripit. Smyrne arx oim̄ munitiſs. ob arrogantiā præfecti fratrum Hieroſolimitarū à Tamberlano deſtruit̄. Eiuſdem Tamberlani qui quingentos Mahometi ſacerdotes ad templum confugientes concremauerit reſponſum. Item quam uim incantationes Magorum habeant, haud parum multa afferuntur. cap.30
De ſignis atq; prodigijs quæ præceſſerunt mortem Bonifacij. Item de fortuna ac miſero Franciſci nepotis Vrbani exitu. cap.31
An liceat ſummo Pontifice uendere ſacerdotia abſq; ſimoniæ nota ſiue macula. cap.32
De Petri Lunenſi aliàs Benedicti XIII. patria, uita, eiuſq́; ante Pontificatū geſtis, de electione eiuſdē. Item de iuramento ab eo ac omnibus Cardinalibus præſtito. Idē quo pacto poſtea iuſiurandi religionē contēpſerit. Prin-

cipes

cipes Germaniæ in Francofurdeñ. conuentu ſuper ſchiſmate conſultantẽ ad Bonifacium nuncios mittunt, quos ille beneficijs atq; honoribus faſcinat, inq; ſuam trahit ſententiam. cap.33
Rurſus de funere Bonifacij & factione Guelphorum & Gebellinorum, & de electione Innocentij VII. cap.34
Ladislaus Siciliæ rex factionibus inteſtinis ad urbem illectus coronatur. Tumultus Guelphorum & Gebellinorum narratur. cap.35
De VII. uirorum inſolentia in Pontificem, ac de miſeranda cæde à nepote Pontificis illis inlata. Item de tumultu uulgi in clericos. cap.36
De conflictu militum regiorum contra Innocentij partes ad pontem S. Angeli, & immutatione ſtatus ac regiminis urbis Romæ. cap.37
Quo ingenio dolis atq; uafritijs utriq; Pontifices mutuis literis ſeſe ad unionem exhortando orbi Chriſtiano impoſuerint. cap.38
De reditu Innocentij in urbem, deq; laudibus eiuſdem, quas tamen ſola ambitione obſcurauit ac fœdauit. cap.39
Piſæ à Florentinis Guelphorum proditione capiuntur. Item quòd culpa atq; deſidia Ro. regũ urbes Italiæ ab imperio deſciuerint ibidem. cap. 40
Ladislaus rex ob impietatem in clericos ab Innocentio damnatur ac rurſus reconciliatur. cap.41
Iterum de Pontificũ colluſione, deq; eadẽ re authoris lamentatio. cap. 42

LIBER TERTIVS.

Quomodo poſt mortem Innocentij Cardinales circa noui Pontificis electionem ſeſe habuerint, & de iureiurando ab eis adhibito. cap. 1
Angelus Corario Venetus S. Marci presbyter Cardinalis eligitur, & Gregorius XII. appellatur. cap.2
Hiſtoria tenorem publici inſtrumenti ſuper iuramento prædicto de uerbo ad uerbum inſerit. cap.3
De literis Gregorij ad Benedictum ſuper unione tranſmiſſis. cap.4
Benedicti reſponſio ad literas ſupraſcriptas. cap.5
De nequiſſima atq; doloſa machinatione ſimulationeq; Gregorij. cap.6
De poteſtate Pontificum atq; imperatorum, & an imperator in temporalibus ſubſit Pontifici. cap.7
Geſta ac triumphi Diethericí Bernenſis. cap.8
An Papa delinquens debeat & poſſit ab imperatore corripi, & de geſtis circa eam rem Ottonis Romanorum imperatoris. cap.9
An expediat reip. Chriſti Pontifices Romanorum temporalia terrarumq; dominia poſſidere atq; tenere. cap.10
An Romani Pontifices iuxta canonum decreta à nemine poſſint ſeu debeant iudicari. cap.11
De coronatione Gregorij eiuſq; ſimulata pietate atq; religione. cap. 12
Nuncij à Gregorio ad Benedictum ſuper unione ineunda mittuntur, inter quos Anthonius de Butrio iuriſconſultus. cap.13
Quomodo Gregorius dominandi captus libidine tergiuerſatur & locum faciendæ unionis cauſatur. cap.14
Nepos Ponti. ac monachus qdã Põtifici perſuadẽt ne unioni intẽdat. cap.15
Greg. nepotũ ditandorũ cura agitatus belli ſemina atq; flagitia ſuſcitat. ca.16
De aperta recuſatione Gregorij ſuper unione facienda, & de quæſtione ab
eodem

eodem iureconſultis ea de re propoſita. cap.17
De uafro ac nequiſſimo commento Pontificatus retinendi gratia à Gregorio apparato. cap.18.
De diſceſſu Greg. ab urbe & de his q̃ Viterbij ſup uniõe agitata fuerũt. ca.19
Tenor conceſſionis atq; donationis nepotibus Põtificijs factæ, in qua meras nugas imò apertiſſima mendacia, & quo pacto turpitudini fucus honeſtatis prætendatur uidere licet. cap.20
Nepotes Pontificis diui Petri hæredes facti amplo ditanť patrimonio. Item quo pacto per uarias fraudes unio atq; pax Chriſtiana turbata fuerit ab amb tioſiſſimis præſulibus. cap.21
Quibus artibus Greg. pecunias corraſerit, ſacrãq; legerit ſuppellectilẽ. ca.22
Duos præſtantiſſimos Cardinales recta monẽtes obaudit Gregorius nouas inſuper fraudes, quo diutius retineat imperiũ, cõmentus, ubi aduertere licet quàm irrequieta ſit dominandi libido, & quàm difficile imperium ſemel arreptum dimittatur, ut canis à corio nunq̃ abſterrebitur uncto. cap.23
Gregorius contra religionem & ſuorum Cardinalium contradictionem nepotes donare galero inſtituens, multis precibus uictus deſiſtit. cap.24
Veritatis prædicator Gregorio unionem ſuadere conatus à nepotibus carceribus mancipatur. cap.25
Exemplar ſeu copia fucatæ atq; ementitæ excuſationis motæ. Itemq; adhortationis ad unionem Benedicto tranſmiſſorum. cap.26
Reſponſio Benedicti ad ſupradictas excuſationes & adhortationes. cap.27
Tractatus, conſultationes, atq; ſcripta pro parte utriuſq; cõtendentis propoſita ad differendam unionem pulchre concinnata. cap.28
Literæ Ladiſlai regis ad Florentinos. cap.29
Ex ſentẽtia Frederici ij. Ro. imp. urbis ruinam author deplorat. cap.30
Gregorius cõtra iuramentũ præſtitũ nepotes ſuos creat Cardinales. ibi haud parum multa de eiuſdem pertinacia quæ multorum ſanis conſilijs ac præcibus emolliri non potuit. cap.31
Cardinalis Leodieñ. uiri clariſſ. abeũtis bona nepotes Põtificis diripiũt. ca.32
Cardinales paſſim à Papa diſcedũt eius impias cenſuras ridentes. cap.33
Literæ Cardinalis Leodienſis quibus quatenus Papæ ſit obediendum ſignificat. cap.34
Epiſtola Petri de Luna, quæ ſale multo Gregorium perfricuit. cap.35
Gregorius Conciliũ ad Aquilegiũ indicit, nouoſq; creat Cardinales. cap.36
De cõſultatione atq; definitione Cõciliabuli per Benedictũ in Aragonia celebrati ſup ſchiſmatis materia, qbus miro mõ eiuſdẽ fouet ptinacia. cap.31
Cardinales utriuſq; factionis ſeſe à Pontificibus illuſos cernentes, Piſis conueniunt, generale Concilium indicunt Gregorium citantes. cap.38
Cardinalis Barenſis, anno dñi 1409. Concilij legatus ad Germaniam prælatos ad Conciliũ uocat. de actis eiuſdẽ Concilij Piſani. Itẽ quomodo Vormatienſis Epiſcopus unà cum alijs qnibuſdã Ruperti regis Rom. ad Gregorium legatus Cardinalatus honorem ultro oblatum recuſat. Anthonius nepos Cardinalis principes Germaniæ Franckfurdiæ conuenit. cap.39
Author Pontificũ colluſionẽ atq; peruerſitatẽ deteſtatus refert cauſam eiuſdem colluſionis, ex ſententia diui Pauli diuiſiones ab eccleſias tollendas eſſe docet. Quorundam opinionem confutat, ubi etiam non parum multa de ſignificatu uerbi Oportet colligit. cap.40
Indicia aduentus Antichriſti, uerſiculi in Romanorum degenerationem de Paulo

Paulo Vrſino cap.41
Digreditũ author recenſens imperium atq; potentiã Tartarorũ. Itẽ geſta, fortunam atq; habitũ Tamberlani clariſſimi imperatoris Tartarorũ. cap.42
De ruina fidei atq; imperij lege & plorabis. cap.43
Proceſſus ac ſententia Concilij Piſani Antipapas utroſq; Põtificatibus &c. priuans, ac hæreticos eos ſchiſmaticoſq; declarans. cap.44
De his quæ à depoſitis taliter Pontificibus contra Cardinales ac Concilium attentata fuerint, & de fuga Angeli Corarij aliâs Gregorij XII. deficiente crumena molendinoq; ceſſante. cap.45
Angelus rurſus differendi retinendiq; imperij quærit ſuffugium, ubi etiam de cauſis ſimultãtis inter illuſtriſſimos Rupertum Rom. ac Ladislaum atq; Sigiſmundum Hungariæ Bohemiæq; reges. cap.46
Declaratio eorum quæ capite ſuperiori dicta ſunt. cap.47
Quo pacto Ladislaus ob depoſitionẽ Venceslai fratris ab adminiſtratione imp. Rom. hoſtis eiuſdem imperij factus ſit. cap.48
Calliditas atq; aſtutia Angeli in cauendis inſidijs ſibi à patriarcha Aquilegienſi ſtructis, & quo pacto Paulus cubicularius in eãdẽ inciderit, ac rebus fortunisq; deſtitutus turpiter p̄ Vtinenſem ciuitatẽ deductus fuerit. ca.49
Quo pacto quidem Gregorij palpones miſeros exitus inuenerunt. Et de perfidia fratriſcelli cuiuſdam à Gregorio infeſtati atq; in reprobum ſenſum transformati. cap.50
De Alexandri V. uita ac moribus, deq; nimia eiuſdem in exaudiendis paſſim precibus facilitate. cap.51
Ludouicus Andegauẽ. contra Ladislaũ Siciliæ rex pronunciatur, rurſus de dicti Alexandri indulgentia atq; facilitate parum diſcreta. cap.52
De ſimultate inter Alexandrum V. & Rupertum Romanorum regem. Ioannes Epiſcopus Moguntinus creatur natus legatus in ſua prouincia. Franciſcani triumphant, Alexander pie moritur. Cap.53

FINIS.

DE ORIGINE CAVſiſque omnium longiſſimi Schiſmatis, quod per xxxix. annos in Eccleſia Ro. uſq; ad Concilium Conſtañ. durauit. Incipiens anno Chriſti 1378. ſub Vrbano Sexto. Liber primus.

De uita, moribus, ac progreſſu Bartholomæi Barenſis Archiepiſcopi, qui poſt in Pontificem electus, Vrbanus ſextus uocatus eſt. Caput primū.

EO tempore, quo dominus Gregorius papa. xi. huius nominis, deceſſit, in urbe fuerunt penè omnes Cardinales natione ultramontani, ſed inter eos erant tantū quatuor Italici, qui etiam tunc temporis erant in urbe præſentes, unus uidelicet Florentinus Petrus, alius Mediolanus & inſignis doctor in iure Canonico, Ioannes tertius de domo Vrſinenſi Romanus natione, Iacobus & quartus de mediocri ſtatu etiam Romanus, qui cognominabatur uulgariter Cardinalis ſancti Petri, necnon etiam illo tempore, quo Gregorius ante ipſius obitū remanſit in Italia, & poſtq; illuc Romanam Curiam tranſtulit de ciuitate Auinionenſi, Vrbanus tunc erat pauper Archiepiſcopus Atherontinus, tandem de Metropoli Atherōtinenſi ad Metropolim Barenſem in Apulia per eundem Papam Gregoriū (quā per annum ante eius Papatū uix poſſedit) translatus de mandato Gregorij in abſentia quondam domini Petri Cardinalis Pampinolenſis ſanctæ Romanæ eccleſiæ Vicecancellarij, qui poſt receſſum Gregorij de Auinionenſi continue uſq; ad eius obitum remanſerat Auinione. Recepit in Italia officiū Cancellariæ apoſtolicæ, & natus fuit in Neapoli in platea Vindi, in quodā loco, qui uulgariter uocatur Infernus, ex diuerſis comparentibus, ex patre Piſano, de matre Neapolitana, ut ibidem fama laborat, egregius decretorū Doctor, necnon ante papatum homo humilis & deuotus, & retrahens manus ſuas ab omni munere, inimicus & perſecutor ſymoniarum, zelator caſtitatis & iuſticiæ, ſed nimis ſuæ prudentiæ innitendo, & credēs adulatoribus libenter aures præbuit ipſis, frequenter & ſollicite in codē Iure & in ſacra pagina etiam ſtudens. Ingenium, quo (ut ipſe teſtatur Saluſtius) neq; melius neq; amplius aliud in natura mortaliū eſt, ſecordia torpeſcere nō ſinebat, uiros literatos & bonos ſyncere dilexit, & pro poſſe adiuuit, non impediens ſe de negocijs alienis, & ſingulis diebus, dū corporis ſoſpitate gaudebat, miſſam legit, & etiam plura officia in eadem Curia tunc exiſtente in ciuitate prædicta exercuit.

Nomina Cardinaliū Italorum.

Reditus Curiæ ex Auinione in Italiam.

Laus Vrbani.

Doctrina atq; ſtudiū Vrbani.

Officia Bartho. commiſſa. fuit enim perplures annos examinator in gratijs ſpecialibus, necnon præſidens in Cancellaria prædicta, & documenta, quæ fieri ſolent circa literas apoſtolicas, recepit, & hæc officia exercuit in Auinióe anteq̃ huiuſmodi officium locumtenentis Cancellariæ prædictæ in urbe foret aſſumptus. *Forma atq; habitudo corporis.* Erat etiã breuis ſtaturæ & ſpiſſus, coloris liuidi ſiue fuſci, & ſexagenarius uel circa dum eligebatur in Papam, & in duodecimo anno ſui regiminis circa medium menſis Octobris moriebatur. Et anteq̃ exiret Auinione, cauſa ueniendi cũ ipſo Gregorio Papa ad Italiam, fuit ſocius ſiue Capellanus cõmenſalis in Auinione dicti domini Cardinalis Pampilonenſis ratione præſidentiæ in Cancellaria prædicta, qui quidem Cardinalis ipſi & uni ſcutifero cũ ſcutelibratis ſemel in anno ueſtibus prandium miniſtrauit, & nunq̃ fuit talis aut tantus, quòd ipſe per ſe uel alium pro aliqua conſequenda dignitate, item quantumcq; notabili præſertim Papatu ſeditionem ſeu impreſſionẽ mouiſſet, uel aliquis de eo cogitaſſet aut præſumpſiſſet. Hic etiã ante ipſius Papatum per multos annos me exiſtente cum ipſo ſingulis noctibus, poſtq̃ ad cubile ſuum cauſa quieſcendi aſcenderet, coram ſe in Biblia quo uſq; dormiret legi fecerat, & raro uel nunq̃ tempus aliquod uigilando ocioſe conſumpſit, ſed aut ſtudebat ut prædixi, ſeu commiſſa ſibi exercebat officia, uel orabat, & niſi artatus quodammodo per plateas nullatenus incedebat, & incedendo duabus beſtijs contentus erat, una mula ſcilicet ſuper qua ipſe, & uno equo ſuper quo eius familiaris ipſum aſſocians equitabant. *Diligentia Urbani.* Etiam induebatur cilicio diurno tempore & nocturno, in quo dormiens, indutus fuit deſuper tunica alba talari de mediocri panno laneo, ac multum erat patiens tũc temporis in aduerſis, compatiẽs etiam ualde calamitatibus aliorum, omnia etiam ieiunia per eccleſiam indicta tunc ſanctiſſime obſeruabat, nec nõ per Aduentum domini & per Sexageſimã annis ſingulis ieiunabat, & ieiunantes ſimiliter nec non bonos religioſos ſatis amabat.

Quo pacto Cardinales ad Pontificem eligendum proceſſerint, & quæ circa electionem partium ſtudia fuerint. Item de prædicti archiepiſcopi electione. Caput II.

CVmq; omnes Cardinales poſt obitum dicti Gregorij Papæ, qui deceſſit Romæ circa finem Menſis Martij, Anno domini M.CCC.LXXVIII. ut moris eſt, intrarent conclaue in palatio papali prope Baſilicam principis apoſtolorum, ſupra dictus etiam Vrbanus cum eis, non tamen ut Cardinalis intrabat, & expectans inibi donec omnes alij prælati, qui tunc pariter intrauerũt

intrauerunt, ab inde receſſerant, ſolis eiſdem Cardinalibus in cameris eorundem ſigillatim loquebatur, ipſos deuotius deprecando, ut deum & iuſticiam præ oculis haberent, & omni affectione ſemota eccleſiæ Romanæ de utili & idoneo paſtore per electionem canonicam prouiderēt. Sicut hæc fieri uidi & audiui cum eodem Vrbano ibidē tunc exiſtens. Et quia dicti domini Cardinales per multos dies anteꝗ̃ eligerēt, in dicto palatio ſeu cōclaui remanſerāt, præfatus Vrbanus timens ne forte aliquid ſiniſtrum ipſi eccleſiæ contingere poſſet, interim quòd dicti Cardinales erant in cōclaui, ſingulis diebus ad altare ſecūdum in ipſa Baſilica legit Miſſam, ut exiſtimo dominum deprecando, ut Cardinalibus ipſis ſuā gratiā dignaretur infundere, quòd cito Pontificem utilem & idoneum eligerent, ut præfertur. Cumq; poſtea dicti Cardinales in eundem Vrbanum in ipſo cōclaui, quòd aſſumeretur in Papam per electionem uniformem, ſcilicet nemine ipſorum diſcrepante, factā in ſimul concordaſſent. Quadam die Veneris ſcilicet. VI. nonas Aprilis tunc currentis anno prædicto, paulo ante horam tertiam miſerunt pro eo, & multis alijs eccleſiaſticis prælatis, qui tunc fuerunt in urbe ipſa præſentes. Qui quidem Vrbanus ſtatim libros & quaſdam alias res ipſius ad loca tuta portari fecit, ne ſi rumor inſurgeret in populo, quòd ipſe electus eſſet in Papam, forſan Romani more ſuo irruerēt in eius hoſpitium, ac ipſum ſuis libris & rebus huiuſmodi ſpoliarent. Sed poſtꝗ̃ eadem die prædicti Vrbanus tunc Archiepiſcopus Barenſis nominatus, & alij prælati per eoſdem dominos Cardinales ſic uocati, circa horam tertiam ad prædictum palatium acceſſerant, ortus fuit repente maximus rumor in populo, ſcilicet quòd Papa eſſet electus, ſed qs eſſet ille adhuc ipſis erat incertum, ſed cum paulo poſt quidam de ipſo palatio clamaret ad populum in maxima turba præ foribus dicti palatij congregatum, in hæc uerba uidelicet, Barenſis eſt electus in Papam. Ad hoc uehemēs commotio ſubito facta fuit in populo, quòd contigit credo ea de cauſa, quia pleriq; Romani præfatos dominos Cardinales anteꝗ̃ ipſum conclaue intrabant, crebro ſollicitarunt, ut loco dicti defuncti paſtoris ſaltem Romanum uel Italicum in Papam eligerent, ea uice, quòd etiam me præſente una uoce deprecabantur omnes illi Romanum, qui ſtabāt in gradibus eiuſdem Baſilice, dum præfati domini Cardinales dictum conclaue ut profertur, cauſa eligendi nouum Pontificē intrare uolebant, & à pleriſq; audiui, quòd hoc per illum Iacobum Romanum Cardinalem fuit ſophiſtice uel ex induſtria ordinatum, ut per hoc ipſe tanꝗ̃ de potentiori domo Romana ſcilicet Vrſinenſi ortus eligeretur in Papam, & etiam aliæ rationes cauſam huic cla-

Zelus atq; integritas Vrbani.

Concors electio.

Attende ambitionē atq; machinamenta talorum.

mori populari dederunt, quia dictus dominus Gregorius habuit quẽdam Cubicularium, Io. de Bare uulgariter nuncupatum, Gallicũ ſeu de terra Lemonicenſi oriundum, ſatis ut fama erat ſuperbũ, pariter & laſciuum, qui propterea nedum dictis Romanis, ſed etiam pro maiori parte Curialibus erat exoſus, & hũc credebant dicti Romani fuiſſe in Papam electum loco Gregorij prælibati, & de illo ipſi Romani falſo errore ſeducti, dolebant plurimum, & uehemens murmur factus extitit inter ipſos. Dicti uero Vrbani electi in Papã pauci Romani tunc noticiam habebant, & eius habentes noticiam, reputabant ipſum quodãmodo pauperem & deſpectum. Nec domũ uel ortum proprium pro tunc habebat in urbe uel eius diſtrictu. Alia etiam huius rumoris popularis cauſa fuit, nam inter illos prælatos tunc etiam uocatos ad dictum palatium ut profertur, erant aliqui Romani potẽtes, ſcilicet Petrus Abbas monachus montis Caſini, & alij, quorum cuiuslibet conſanguinei & amici credebant, quòd amicus eorum electus eſſet in Papam, unde repente maximus concurſus & ſtrepitus equitantium & concurrentium per contractas dictæ urbis ad ipſum palatium, illa tempeſtate auditus fuit, ibidem durans pene illa tota die. Vnde Cardinales prædicti ad ſedandũ dictos rumores ſimulãte ſeu confictè populo per aliquos dici fecerunt, quòd præfatus Cardinalis ſancti Petri eſſet electus in Papam, quod audientes ſui amici cum magna turba impetuoſe currebãt ad prædictum palatium, quo recipientes ipſum uiolenter ad altare maius in ipſa Baſilica, ut eſt moris de nouiter electis in Papam, fieri perduxerunt, & poſuerũt ſuper illud eo inuito & dicente, quòd non eſſet Papa, ſed Archiepiſcopus Barenſis per eum & alios Cardinales electus foret in Papam. Et tam magna preſſura ibi facta ilico fuit, ita quòd dictus Cardinalis in illa comprehenſus mortem uix euaſit, qui poſt hoc ad dictum palatium reductus, ex tunc continue remanſit, quam diu uixit penes dominum Vrbanum antedictum. Dicta uero die poſt eandem electionẽ etiam tunc ipſo rumore durante, quatuor uel quinq; de prædictis Cardinalibus eandem urbem cum dicto domino Iacobo Cardinali exiuerũt, & aliqui eorundem Cardinalium ad Caſtrum ſancti Angeli, in Burgo dicti ſancti Petri declinarunt, ſed altera die immediate ad dictum Vrbanum in palatio apoſtolico exiſtentem, ſatis tempeſtiue acceſſit Petrus de Luna tunc, & paulo poſt alter, qui Abbas maioris Mõtis uulgariter nominatur, & poſtea Robertus de Gebenna, ac ſubſequenter cæteri Cardinales, ſcilicet de Agriſdio, Viuarienſi, Glandatenſi, ſancti Angeli & ſancti Euſtachij, necnon de Britannia, & Pictauienſi, qui omnes fuerunt natione Gallici, & ipſi alij tres Cardinales

Tumultus popularis.

Paupertas Vrbani.

Attende uulgi furorem atq; inſaniam.

Nomenclatura quorũdam Cardi.

dinales Italici. Ita quòd omnes præfati Cardinales, qui eum elegerũt infra horam ueſperorũ illa die conuenerant in ipſo palatio, qui poſtꝙ Romani in ueritate ſenſerũt, quòd dictus Cubicularius cognominatus Barenſis nõ erat electus in Papam, ab incepto rumore penitus quieuerunt, ulterius de ipſis Cardinalibus & electione facta de ipſo Vrbano ſe nullatenus implicando, unde omnes ipſi Cardinales tũc in ſimul hora ueſperorum in eodem palatio aggregati, ipſum Vrbanum paulo poſt eandem horam ueſperorum more ſolito intronizarunt, qui poſtꝙ intronizatus fuit per eoſdem ad locũ, in quo dictus Gregorius Papa benedictionem dare populo conſueuerat, cũ omnibus ipſis Cardinalibus, necnon magna multitudine aliorum prælatorum accedens, populo in maxima frequentia & multitudine ibi tunc congregato, Papalem & ſolennem benedictionem dedit.

Intronizatio Vrbani ab omnibus Cardinalibus facta.

De coronatione Vrbani. Caput III.

ET deinde in ipſa ſacra paſchali dñi, de mane ualde ſolenniter, per ipſos dominos Cardinales, ut moris eſt, ipſe Vrbanus ſuæ coronationis inſignia recepit ante portam dictæ Baſilicæ, ſicꝙ coronatus dicti Cardinales ac prælati & officiales, ac etiam multi nobiles & Curiales, ac penè uniuerſus populus urbis, ipſum ad eccleſiam Latranenſem per eandem urbem cum Papali honore ſeu pompa tranſeuntem aſſociarunt. Fuerũt etiã tũc in ipſa urbe ualde multi Barones, & alij Magnates ꝑ plures dies præſentes, qui uniuerſaliter ſinguli uidelicet eorum, eidem Vrbano ut uero ſummo Pontifici, publice ac priuate honorem & reuerentiã exhibuerũt, & tunc nullũ dubiũ nullusꝙ rumor ſiniſter erat in urbe Roma, etiam inter Cardinales & alios quoſcunꝙ, quòd idem Vrbanus nõ eſſet uerus Papa, aut quòd per impreſſionem uel alias minus canonice foret electus. Immo omnes ipſi Cardinales tunc temporis ſcriptis & dictis publice & priuate dicebant omnibus, etiam ſecum de ipſo Vrbano conferentibus, quoniam ipſe Vrbanus eſſet uerus Papa, & canonice ac concorditer per ipſos electus, & hæc eſt ueritas nec potuit reuera negari.

De ſeuera atꝙ intempeſtiua Vrbani in Epiſcopos inuectione. Caput. IIII.

SEd die Lunæ infra feſta paſchalia, dictis ueſperis in eius præſentia, in eodem palatio in Capella maiori, me præ-

ſente ipſe Vrbanus publice incepit increpare Epiſcopos, qui illic uenerāt, dicendo, quod omnes eſſent periuri, quia eccleſias ſuas deſererent in eadē Curia reſidendo. Sed omnibus tacentibus ipſis prælatis, quondam dominus Martinus Epiſcopus Pampinolenſis, eiuſdem Vrbani referendarius, natione Cathalanus, qui fuit doctor egregius in Iure Canonico, & diu Auinione in eodem Iure legit ordinarie, ſolus Papæ reſpondit ſatis acerbe dicendo, Quòd ipſe non eſſet periurus, quodq́ dictam Curiam non propter eius priuatam, ſed potius propter publicam utilitatem ſequeretur, & paratus eſſet de illa recedere, nec nō ad eius eccleſiam accedere. Arguendo ſubtiliter per hoc dictum Vrbanum, quòd egit minus caute, ſic generaliter obiurgādo prædictos prælatos præſentes tunc in Curia memorata.

De Vrbani continentia in pecuniarum contemptu. Caput v.

SVbſequenter autem die Lunæ, immediate poſt ſecūdam dominicam poſt Paſcha, ipſe dominus Vrbanus tenendo publicum Cōſiſtorium, & confluentibus illic dictis dominis Cardinalibus, nec non prælatis ac officialibus & Curialibus, in magno numero ut eſt moris, incepit ſermonem facere in præſentia eorundem, cuius thema fuit. Ego ſum paſtor bonus &c. quem minus caute, nec nō etiam minus ornate fecit, in quo etiam mores dictorum dominorum Cardinalium & prælatorum incepit redarguere, quòd ipſi egre tulerunt, miror enim quare ipſe hoc fecit, ſciens eos parum ipſum pro tunc curare, fruſtra enim niti, neq; aliud ſatigādo, niſi odium quærere extremæ dementiæ eſt. Fuerunt enim īcrepatiōes illæ intēpeſtiuæ fomentū ſchiſmatis ſubſequētis. Veniēs etiā illo tempore quidā Collector fructuum Cameræ apoſtolicæ, de quadam prouincia ad præſentiā dicti Vrbani, ei quandam pecuniæ ſummulam ratione ſui Collectaneæ officij offerebat, cui reſpondens ait, Pecunia tua tecum ſit in perditionem. ac illam recipere non curauit. Similia multa inſolita & abuſiua de die in diem faciēs, ꝑ quæ penè omnium ipſorum Cardinalium & prælatorum, contra ſe magis iracundiam concitauit.

De Ottonis ducis Brunſuicum, ac Ioannæ reginæ Siciliæ, uxoris ſuæ in Vrbanum ſtudijs. Caput vi.

SEd quòd Vrbanus ipſe ita proſilijt ad increpationes indiſcretas & nimium repentinas, cauſa fuit, quia quondam domina Ioanna regina Hieruſalem & Siciliæ, quã poſtea idem Vrbanus Siciliæ regno priuauit, audiens eum ad Papatum promotum eſſe, gauiſa fuit gaudio magno ualde, ac per multos dies Neapoli luminaria multa more illius patriæ, per totam ciuitatem in crepuſculo ueſpertino, ad honorem dicti Vrbani incendi fecit, necnon ambaſiatores ipſi reginæ, per eundem Vrbanum ſtatim poſt electionem ſuam deſtinatos benigne recepit, & multis grandibus & liberalibus donarijs præuenit, ipſiq; Vrbano xl. milia ducatorum in auro partim & partim in moneta argentea in illo principio deſtinauit, necnon paulo poſt uina & blada ac carnes ſalſas, & caſeos per mare in nauigijs, in magnis quantitatibus ſibi tranſmittendo, regnum quoq; ſuum & omnia quæ habebat, ſibi obtulit, credẽdo eum ſibi ſemper remanere beniuolum. Et ab alio latere ille quondam pater principum, & norma nobilium, ſcilicet dominus Otto dux Brunſuicenſis & princeps Tarenti maritus dictæ reginæ, qui etiam prædictum Vrbanum ante ipſius Papatum ſumme dilexit, & quantum potuit per dictum Gregorium Papam paulo ante ipſius obitum ad faciendum pacem, inter Romanam eccleſiam colligatos, ad Tuſciæ & Liguriæ partes deſtinatis omnibus per ipſum fideliter & prudenter pro ipſa pace reformanda inter eaſdem partes diſceptantes compoſitis ad eandem urbem redijt circa ipſa feſta paſchalia, cũ bonis nouis pacis huiuſmodi concluſæ reperiendo ipſum Gregorium interim uita functũ, qui etiam exhileratus uehementer de promotione dicti Vrbani ſibi obtulit ſe & ſua. *Otto dux Brunſuicenſis.*

De inſolentia Vrbani. Caput VII.

ET cum infra eadem feſta dictus Otto ſumpto prandio cũ Vrbano, ut moris eſt, ei quadã die potũ præberet in collatione, in præſentia quorundam Cardinalium, & aliorũ magnæ autoritatis uirorum, dictus Vrbanus ex faſtu ſciphum de manibus tãti principis ſtantis coram eo diu genubus flexis recipere tardauit, donec ad eum quidam ex eiſdem Cardinalibus diceret hæc uerba. Pater ſancte, tempus eſt ut bibatis, nec feſellit in eo illud pro tunc, Aſperius nihil eſſe miſero qui ſurgit in altum. nec illud, Corde ſtat inflato pauper honore dato. Et licet tũc ſollicitaretur inſtanter, quòd eandem pacem pro ipſius ſtatu firmando benigne acceptaret, hoc tamen pro tunc facere nõ curabat, credens ſe ſuper pe-

nas uentorum iam uolare, quæ etiam præconceptum rancorem iam inter ipſos & ſuos Cardinales prædictos nō mediocriter adauxerūt, & eum delirum communiter ipſi Cardinales iudicabant. Fuit enim duri cordis, unde probauit illud. Cor durum habebit male in nouiſſimo, & qui amat periculum, in illo peribit. Sed paulo poſt ſuſcitata nimis periculoſa diſcordia inter ipſum & dictos Cardinales, prædictum ſchiſma magis propterea ex rancore mutuo partium, quàm allegata impreſſione in electione dicti Vrbani, ut in præcedentibus tangitur, habuit ortum. Romanis autem Ciuibus pro poſſe complacere ſtuduit idem Vrbanus, in quo etiam ipſis Cardinalibus uehementius diſplicebat. Vnde ſigillatim dicti Cardinales ab ipſo exiſtente ad huc in eadem urbe circa medium menſis Maij poſt eius coronationē receſſerunt, necnon ad Anagniam ciuitatē Campaniæ Romanēſem declinarūt recreationis cauſa pro illa æſtiuali tempore, ut dicebant, quia tunc ut communiter incipit calor in eadem urbe uigere. Ipſe autem Vrbanus ſentiens infra aliquot dies poſtea, quòd illic contra eū conſpiraſſent, quodq́ contra ipſum procedere uellent ipſi Cardinales, ſatis doluit, quòd eos à ſe libere abire permiſiſſet, ſed animo eos ad ſe reuocandi etiam de ipſa urbe ad ciuitatem Tiburtinam, quaſi in medio itinere inter urbem & Anagniam collocatam, & ſub ſpe recreationis infra dies paucos poſtea acceſſit, ubi extūc per quatuor Menſes uel circa ſtetit, & inter hæc dicti Cardinales in Anagnia huiuſmodi contra ipſum proceſſum inchoarunt, in quo eum Bartholomæum Barenſem in Papatu intruſum nominarunt, ipſumq́ ad certam diem citarunt, & multa contra eum attemptarunt, ſub tuitione quondam Honorati Comitis Fundorum, qui dictam Campaniam tunc & diu ante pro eadem Romana eccleſia gubernabat.

Receſſus Cardinalium

Quæ ad extinguenda naſcentis ſeminaria ſchiſmatis ab Ottone alijsq́ geſta ſint. Caput VIII.

INterim uero dictus dominus Otto princeps Tarenti, ſentiens per famam forſan, hoc nephando ſchiſmate iam orto, & ne tantum malum uires aſſumeret in tota Chriſtianitate, quia erat uir totus catholicus, ac etiam ipſi Vrbano ualde compatiendo, cum decenti comitiua Iuriſperitorum & Militū de Neapoli uenit ad ipſum Papam ad Tiburtum, conando eum cum dictis Cardinalibus in amicitiam reponere, ac ſecum ordinare, quòd quondam Maria regina & hæres regni Trinacriæ cōſanguineo ſuo ſtrenuo uiro iuniori Marchioni Montisferrati, qui tunc cum eo morabatur,

rabatur, nuptui traderetur pro bono ſtatu Trinacriæ, & etiã Siciliæ regnorum præfatorum, prout de hoc partes ipſæ & omnes Barones dicti regni Trinacriæ iam ſimul ut ſic fieret, concordabant, quorum tamen neutrum dictus princeps potuit ab eodem Vrbano finaliter obtinere, propoſuit enim iam in mente ſua, quòd dictum regnũ Trinacriæ in Franciſcum prægnanum nepotulum ſuum ex eius fratre genitum, de quo ſuo loco inſerius multa dicentur, qualitercunq; trãſferret. Videns igitur ipſe princeps, ſe non proficere in promiſſis cum eodem Vrbano, quia erat aliqualiter literatus, quadam uice dolẽter coram nonnullis dicebat pro certo, pater noſter non Vrbanus, ſed potius ut timeo turbanus dicetur, & multis erit aduerſitatibus inuolutus, & ruina multorum. Quòd audiẽs etiam tunc præſens quondã ille celebris doctor legum dominus Nicolaus de Neapoli Rector prouinciæ in Gallia pro ipſis domino Ottone principe & Ioanna regina tũc temporis, acceſſit ad eundem Vrbanum, qui erat ei ualde familiaris ante Papatũ, rogando ipſum, ut omnino conſilijs dicti principis acquieſceret, qui niſi bonum ipſius domini Vrbani & ut concordia uigeret in Romana eccleſia quæreret aut peteret ab eodem. Quẽ cum etiam obaudiret dictus Vrbanus, ipſe dominus Nicolaus propterea ira commotus, ad præfatos Cardinales infra pauca tempora acceſſit, extunc partem eorum publice fouendo, necnon eis aſſiſtendo conſilijs & auxilijs oportunis. Dictus uero dux Otto licet multũ de ipſius Vrbani duricia doleret, tamen patienter agens & ualefaciẽs Pontifici, etiam ab eo receſſit, ad quem poſtea non reuenit, ſed quòd ipſe Vrbanus uerus eſſet Papa, ſemper tenuit, & publice dixit. Verũ poſt hæc dicta domina Maria regina & hæres Trinacriæ, proditoriè capta ad regnum Aragoniæ abducta fuit, unde hominum clades, deſtructiones terrarum & innumerabilia mala poſtea ſubſequuta fuerunt, atq; ipſum regnum ab obedientia eiuſdem Vrbani in totum defecit, in qua uſq; ad obitum eius & aliquamdiu etiam poſtea remãſit, & tandem in parte ad obedientiam Petri de Luna peruenit, & pro parte in neutralitate remanſit, & remanet de præſenti.

Vrbanus ſuos affectio.

Nicolaus Neapolitanus Iuriſc.

Admonitio ſalutaris.

Defectio Nicolai.

Quomodo Cardinales Galli Italos in ſuam de alio eligendo Pontifice traxerunt ſententiam. Caput IX.

Demum dictus dominus Vrbanus uidens ſe non proficere quo ad hoc, quòd ipſi Cardinales ad eum non redirent, in autumno Romam repetijt, & poſt hoc ipſi Cardinales ultramontani tunc in ciuitate Fundana in ipſa Campania

ſub defenſione dicti Comitis congregati, ad ipſos tres Italicos Cardinales, ſcilicet Petrum, Iacobum & Ioannē, qui tunc erant ſimul in quodam caſtro dicti domini Cardinalis Iacobi, deſtinarunt oratores ſuorum ſcribentes cuilibet ſeorſum literas, in quibus quemlibet ipſorum intelligere fecerunt, quòd ſi ueniret ad ipſos, ſummus Pontifex crearetur. Sed quòd ille ſecrete quilibet eorum teneret, etiam dictæ literæ innuerunt, ſcientes dictos Italicos ambitionis uicio laborare, ſingulosq; ipſos ſic de leui attrahere poſſe.

Commentũ uafrum. Itali.

Ruperti electio ſeu potius intruſio. Caput x.

VNde prædicti tres Cardinales Italici ad dictã ciuitatem Fundanã ſublato more diſpendio euntes, quo uenientes ad confratres ſuos tunc ad faciendum ſchiſma in uniuerſali eccleſia realiter, nec non ad eligendum alium Pontificē congregatos in ſimul acceſſerunt. Et prædictum Ruperttũ dicti Cardinales Vltramontani eiſdem Cardinalibus Italicis tũc præſentibus elegerunt, pro ut in hoc prius in eorundem Cardinalium Italicorum abſentia mutuo concordarunt, ſcientes eum eſſe ambicioſum, & pluribus indigentem ac ſumptuoſum, largæ conſcientiæ, ſed genere nobilem, multis etiam conſanguineis & affinibus nobilibus & potentibus conſtipatum. Vnde poteſt elici, quòd illa electio à ſpiritu ſancto & puris conſcientijs non proceſſit. Videntes autem dicti Cardinales Italici ſe taliter deluſos, indignanter à dicta ciuitate receſſerunt, ad ipſum caſtrum unde illic uenerant redeuntes, in quo tam diu extunc ſimul ſteterunt, donec ipſe Iacobus Cardinalis in eodem caſtro poſtea infra pauca tempora decederet.

Attende q̃ idoneus ac dignus tanto Epiſcopatu.

Clemens Antipapa eligitur, Cardinales migrant in Galliam. Caput xi.

SEd poſtq; dicti Cardinales Vltramontani cum eodem Papa, quem Clementem uocarunt, ad ciuitatem Auinionenſem peruenerunt, præfati Mediolanenſes & Florentinenſes Cardinales in magna perplexitate diu conſtituti, necnon in eadem Romanenſi Campania per aliquot menſes remanentes, ad eundem Vrbanum eius timentes auſteritatem nullatenus accedere præſumpſerunt. Et tandem deliberarunt, etiam ad Auinionem accedere, qui cum iter illuc agerent, prope Vliciam dictus Cardinalis Mediolanenſis morbo correptus ibidē deceſſit. Cardinalis autem

tem Florentinenſis perueniens ad eandem ciuitatem Auinionenſem poſt multos annos ibidem moriebatur. Cumq; dictus Clemens in Fundis taliter electus exiſteret ut præfertur, multi prælati & etiã Officiales potiſſime Gallici & alij Curiales, qui tunc erãt cum Vrbano, paſſim receſſerunt ab ipſo Vrbano, & aliqui ad propria, & multi etiã ad ipſum Clemẽtem eiusq; Cardinales acceſſerunt, ita quòd ipſe Vrbanus quaſi ſolus ut paſſer in tecto (quo ad prælatos & officiales dictæ Curiæ) uidebatur remanere, exceptis Curialibus Alemanis & aliquibus Anglicis, Boëmis & Vngaris, qui erant tũc in eadẽ Curia præſentes, necnon clericis de diuerſis regnis & prouincijs cauſa impetrandi eccleſiaſtica beneficia in illa nouitate ad eandem Curiam peruenerunt, ſeu lites habebant, in ipſa militabant, de ſtatu eorum multifarie dubitabant. unde multus murmur cottidie erat inter ipſos Curiales, & quid facturi eſſent non mediocriter dubitabant.

Creatio nouorum Cardinalium ab Vrbano facta. Caput XII.

Vrbanus ſero pœnitet

VIdens autẽ dictus Vrbanus ſe tũc ſine Cardinalibus exiſtere, dictosq; Curiales partim de die in diẽ taliter aufugere & alios taliter de eorum ſtatu titubare, cœpit dolere, & quandoq; me uidente fleuit amare, & tunc primum cognouit, quia minus caute egiſſet in principio ſui regiminis, & quòd mala hæc propterea fierent, & tunc quoad remanentes Curiales in eius Curia ſe humiliando plures eorundem ad diuerſa officia prædictæ ſuæ Curiæ tunc uacantia promouit, & ſe ualde gratum aduerſitate docente tunc reddidit erga ipſos, necnon ſimul & ſemel uiginti ſex Cardinales una die creauit, exiſtimans forte, quòd de tanto numero eorum aliqui huiuſmodi Cardinales faſtigium utiq; acceptarent, pro ut nec ipſum feſellit opinio, factum fuit, & inter eoſdem Cardinales de nouo creati aliqui fuerunt Romani, de omni ſtatu, & multi ex alijs creatis de nouo Cardinalatu huiuſmodi faſtigium acceptantes de diuerſis locis ad ipſum Vrbanum ſubito acceſſerunt.

De conflictu partium circa urbem. Caput XIII.

QVibus ſic peractis Clemens & Vltramontani prædicti, qui in eadem Campania adhuc reſidebant, pro ipſorum Capitaneo quondam Bernhardo de Cazala, & quibuſdã gentibus armorum de partibus Caſconiæ & Britanniæ

 oriundis,

oriundis, tunc in prouincia patrimonij beati Petri in Tuſcia exiſtẽti bus, miſerunt, quos oportuit quendam pontem ſuper flumen Tiberis exiſtentem prope Romam pertranſire, ſed qui cuſtodiebant illũ pro Romanis, eis contradixerunt, unde repente factus eſt rumor magnus in populo in urbe prædicta. Et multis eorundem Romanis ſine ordine cauſa defendendi præfatum pontem contra ipſos Bernhardum & eius complices exeuntibus, ſed tarde, quia iam dicti Britones ui dictum pontem occupauerunt, ipſe Bernhardus & eius ſocij dictis Romanis occurrerunt, quos quaſi pecudes mactarunt, ubi forte octuaginti Romani uel circa abſq; defenſione cæſi fuerunt, reliquis qui etiam exiuerunt Romanis ad ipſam urbem fugæ ſubſidio reuenientibus, propter quod ſubito clamor & ululatus magni auditi fuerunt in eadem urbe.

Romani cæduntur.

Cædes atq; contumeliæ exteris à Romanis illatæ. Caput XIIII.

Ipſi Romani uindictam ſumentes in Curiales tunc in ipſa urbe præſentes, & præcipue in Vltramontanos imbelles, non parcendo ſexui, ætati, uel dignitati, ſeu ordini, multos eorum percuſſerunt, & pleroſq; in carceribus publicis intruſerũt. mulieres etiam Forenſes, & Francigenas inhoneſte ac peſſime pertractarunt, multos etiam Epiſcopos & alios magnæ autoritatis uiros Vltramontanenſes, & Hiſpanos eorum bonis ſpoliarunt, & in eiſdem carceribus poſuerunt, necnon per plures menſes tenuerunt miſerrime in illis. Nec poteſt quis enarrare plene, quot mala contra ipſos Curiales utriuſq; ſexus eo tempore per eoſdem Romanos committebantur impune. In urbe ſæpe dicta multo tempore durauit hæc quaſſatio, & perſecutio Curialium præfatorum. Vidi tunc aliquas matronas dictæ urbis ad excitandum magis ciues Romanos ad iracundiam contra eoſdem Curiales, dum irent per uicos urbis impetuoſe accedere ad ipſos Curiales, atq; omni poſtpoſita matronali modeſtia & uerecundia, ſpuere in facies eorundẽ Curialium. Propter quæ omnes ipſi Curiales ſuperſtites in magno timore & tremore tunc in eadem urbe ſteterũt. Tamen Alemani tunc temporis aliqualiter mitius per eoſdem Romanos quàm cæteri tractabantur, & interim etiã Capitaneus dicti Caſtri ſancti Angeli in urbe, qui erat Gallicus, & pro ipſis Clemente & ſuis Cardinalibus Vltramontanis dictum Caſtrum cuſtodiuit, Romanis & Curialibus ipſis de dicto Caſtro guerram mouit cum ſagittis, & bombardis ad ipſam urbem uehementiſſime ſagit-

Iniuriæ rapinæ exteris illatæ.

Præfectus Clementis Castro S. Angeli potitur.

me ſagittando, multas cum eiſdem bombardis, ſeu pixidibus æneis domos concuſſit, & prope dictum caſtrum conſiſtentia ædificia plurima ignis incendio concremauit, & ſic paſſim multiplicata fuerunt pro tunc mala in urbe prædicta. Sed Ioannes & Raynaldus de Vrſinis fratres dicti Iacobi Cardinalis, qui poſtea in ciuitate Aquilæ in tumore populari ſimul interfecti fuerunt, atq; Honoratus præfatus & Angelus præfectus urbis, necnon Iordanus de monte etiam de Vrſinis, & multi alij proceres urbis fouerūt, tenueruntq; partem Clemētis, & ſuorum Cardinalium præfatorum, & urbem ipſam undiq; pergirum impugnarūt. Et dictus Raynaldus etiam cum magno exercitu quaſi per Menſem ipſam uerſus portam ſanctæ Agnetis obſedit. *Vrbs obſeditur.* Sicq; Romani & Curiales præfati intus & extra urbem guerris & malis undiq; premebantur, ipſiq; Romani uaccis, bobus, pecoribus, & alijs eorum animalibus, de quibus plerunq; ſuſtentari conſueuerunt per hoſtes ſpoliabantur, nec ipſi Romani ad aptandum agros uel uineas eorum niſi prope urbem conſiſtentes cum magno timore illa durante tempeſtate accedere præſumpſerunt.

De conſilio Vrbani in rebus afflictis, deq; legatione ad Carolum Rom. atq; Hungariæ regem. Caput XV.

VIdens autem dictus Vrbanus, quòd ubiq; ſibi propinqua auxilia deficerent, & cum hæc magnis in ipſa urbe periculis ſubiaceret, remota quæſiuit auxilia, & cogitans intra ſe quòd quondam Carolus Romanorum imperator filium ſuum Venceslaum regem Boëmiæ modernum paucis ante annis, uiuente adhuc Gregorio Papa, in Romanorum regem eligi procuraſſet, quodq; dicta electio per eccleſiam nondum approbata fuerat, & quod ipſi Florentini forſan pacem libenter uellent ſecum habere, illic ſuum conuertit ingenium. Cognouit enim, quod dictus quondam Ludouicus rex Hungariæ quandam dominam Mariam ſeniorem eius filiam, quæ patre defuncto ſibi poſtea in regno Hungariæ hæreditario iure ſucceſſit (quia prole caruit maſculina) domino Sigiſmundo moderno regi Hungariæ eiuſdem imperatoris filio dediſſet in uxorem, licet tunc ipſi Sigiſmundus & Maria eſſent in puerili ætate conſtituti. Vnde dictus Vrbanus ſicut erat ſatis aſtutus, ipſum aduerſitate pungente, ad eoſdem Imperatorem, & Ludouicum regem ſe ualde humiliando ſuos nuncios deſtinauit, diuerſis literis propria manu ſcriptis, de uiolentijs & iniurijs, crebriſq; damnis, quibus per Clementem & Cardinales Gallicos eorumq; complices ipſe ſuiq; Cu-

riales & Romani ſedulo uexabantur, lamentabiliter conquerendo, & exhortando eos, ut ſibi & Romanæ eccleſiæ in tanta perplexitate poſitis miſericorditer ſubuenirẽt. Et quia imperator & Ludouicus rex præfati ſcrutinium inter ſe prius habuerunt, ſi & quomodo ſe interponere poſſent inter partes de Papatu huiuſmodi tunc diſceptantes, ne dictum ſchiſma uires aſſumeret. Vnde huiuſmodi exhortationibus magis inclinati, per quoſdam probos uiros ſatis decenter & honeſte ſcripſerunt, dictis Clemente & eius Cardinalibus adhuc in ciuitate Fundorum exiſtentibus, ipſos rogando quòd ab incepto ſchiſmate huiuſmodi reſilirent, dictoq; Vrbano, quem ipſis regibus & toti Chriſtianitati generalem Pontificẽ paulo ante dederant, ut ſummo Pontifici obedirent, adijcientes, quòd ſi dictum ſchiſma augeretur, ex hoc multa pericula in tota Chriſtianitate uniuerſaliter orirentur.

Regum ad Clementem Antipapã literæ atq; poſtulata.

De inſigni Clementis Antipapæ in regios Legatos contumelia. Caput XVI.

SEd ipſi Clemens & eius Cardinales Imperatoris & Ludouici regis prædictorum precibus & ratiõibus huiuſmodi temere obauditis, dictos eorum nuncios dehoneſtarunt & male tractarunt. Imò aliquos ipſorum honeſtos clericos ueluti latrones inſignes in eculeo tormentarũt, ſeu ad quæſtiones poſuerunt & carceri manciparũt, & in illis diutius captiuos detinuerũt.

Partes Vrbani qui fouebant. Caput XVII.

QVod cum prædicti Imperator & Ludouicus rex audiuiſſent, de hoc nimium perturbati decreuerunt, quòd partẽ dicti Vrbani quoad eius tuendam inſcitiam, donec quid iuris eſſet de ipſa ſecunda electione diſcuteretur uellent omnino tenere, & paulo poſt ipſe Carolus imperator cum eodem Vrbano tractauit tantum, quòd dictam electionem filij ſui in regem Romanum approbauit, & quondam Io. tunc Archiepiſcopum Pragenſem & etiam ad honorem dicti regis Ludouici Epiſcopum Quinqueeccleſienſem creauit in Cardinalem, & ſucceſſiue cum Florentinenſi ac Pemiſinenſi, necnon Marchiſanis, ſcilicet de Marchia Anchonitana, & cum dominis Barnabonæ & Galeatio fratribus, qui tunc Mediolanenſem & multas alias ciuitates Lombardiæ tenuerunt, & qui omnes erant de ipſa liga contra eccleſiaſticam pacem, fecit ſic eos paulatim ſuæ obedientiæ attrahendo, & cooperante dicto imperatore ſuã obedientiam

obedientiam penè per totam Alemaniam dilatauit. Multi etiam principes Alemaniæ & aliarũ terrarum ſibi precioſa munera donauerunt. Sed & domina Eliſabeth conſors dicti Ludouici regis ei coronã ſeu infulam, qua ipſe & ſui ſucceſſores in Papatu poſtea uſi fuerunt, & paramenta ſeu ueſtimenta eccleſiaſtica ualde precioſa, quæ ad ualorem uiginti milium florenorum auri & ultra æſtimata fuerũt, pietatis intuitu ei tranſmiſit, quæ tamen mitra dudum perdita, ut creditur, extitiſſet, niſi aliquando in manibus creditorum diligenter titulo pignoris conſeruata fuiſſet. Sed dicta domina Ioanna regina Siciliæ his ſtantibus per Clementem & eius Cardinales inducta fuit contra uoluntatem dicti domini Ottonis eius mariti ad obediendum ex tunc prædicto Clementi, ſed regnicolæ regni Trinacriæ ipſi Vrbano fideliter adhæſerunt, quouſq; Bonifacius. IX. ſucceſſor ipſius Vrbani ad eius Papatum fuit aſſumptus, prout ſuperius tactũ eſt, quia quõdam filius Martinus regis Aragonum etiam nouiter defuncti maritus præfatæ dominæ Mariæ reginæ, prædictum regnum Trinacriæ manu forti acquiſiuit, & quia erat de obedientia dicti Clementis, obedientiam ipſius Bonifacij annihilauit in ſuo regno Trinacriæ, unde etiam ſuperuenit in cumulum aduerſitatum urbicolarum & Curialiũ pro tunc penuria uictualium in urbe prædicta. Et in hoc ipſi officiales Curiæ pro maiori parte parum lucrabantur tunc in officijs ſuis, & in effectu tunc temporis omnia ibi confuſe procedebant. Et niſi tunc Imperator & Ludouicus rex prædictus eidem Vrbano firmiter adhæſiſſent, magis periculoſe ſtetiſſet. Stantibus autem iſtis quondam Richardus rex Angliæ ſororem dicti Venceslai regis duxit in uxorem, propter quã affinitatem inter ipſos Venceslaũ, & Richardũ hæredes contractũ, ipſa obedientia Vrbano tunc plurimũ augebatur, habuit enim ſecum quaſi totam Tuſciam, necnon Lombardiam, & pro maiori parte Alemaniam, Boëmiam, Vngariam, Angliam, Poloniam, Daciam, Suetiam, Noruegiam, Pruſiam, Friſiam, & multas alias nationes Alemaniæ contiguas, quarum principes & eccleſiaſtici prælati, necnon incolæ dicto Vrbano eiuſq; ſucceſſoribus in ipſa ſua obedientia tanto tempore firmiter adhæſerunt.

Germania uero Pontifici paret.

Tyara Põtificalis Vrbano donata.

Defectio Ioannæ reginæ ab Vrbano.

De morte Imperatoris & aliorum regum. Caput XVIII.

ET cum hæc taliter fierent, contigit dictum Imperatorem, necnon Eduardum Angliæ, Henricum Hiſpaniæ & Io. Franciæ, multoſq; alios expertos reges paſſim decedere, & illis inexpertos iuuenes ac delicijs deditos, ut moris eſt

iuuenum

iuuenum, ſuccedere, & dictum Venceſlaum tunc Romanæ & Boemiæ regem toto tempore ſui regiminis, quòd ipſa uniretur eccleſia & reformaret imperium, modicam dare operam, & de re publica efficaciter non curare. Vnde tunc multiplicata ſunt mala ſuper terram, quibus ſic ſtantibus modernus rex Francorum tunc ætate iuuenis, qui dicto defuncto regi Franciæ hæres ſucceſſerat in regno Franciæ, cõtra ducẽm Gelriæ in Alemania grandem mouit exercitum, ſub cõductu tamen aliquorum prælatorum Alemaniæ, diſſimulante dicto Venceſlao rege. Sed poſtq; alia damna intulit eidẽ duci, & pace inter eos demum facta, reuertebatur ad propria ipſe rex Franciæ, ſed intra breue temporis ſpacium poſtea factus extitit furioſus, nec dum à tali (iudicio dei) peſte curatus.

Vrbanus Clementem eiq; adhærentes priuat, atq; condemnat. Caput XIX.

CONſpiciens uero dictus Vrbanus multos ex huiuſmodi regum & principum ac prælatorum in eius obedientia firmiter remanere, incepit facere atroces proceſſus cõtra dominam Ioannam reginam, nec non Angelum præfectum, & Honoratum comitem Fundorum, ac Ioannem, & Raynaldum de Vrſinis prædictos, pro eo quòd Clementi, & eius Cardinalibus adhærebant, necnon etiam eoſdem Clementem, & Cardinales ac ipſorũ auxiliatores complices & fautores illosq; in diuerſis mundi partibus fecerat publicari, priuando in illis reginam regno Siciliæ, ac feudis terris & dominijs ſuis, nec nõ præfectum & Honoratum comitem, ac Raynaldũ, & Ioannem de Vrſinis præfatos terris & bonis, quæ qualitercunq; tenebant, excommunicando, & inhabilitando eos ad honores feuda, & bona in poſterum obtinenda. Clementem uero uocauit Antipapam, & ſuos Cardinales præfatos declamauit non eſſe Cardinales, ſed ſchiſmaticos, necnon præfatos eorum ſtatu, honoribus, titulis, eccleſiaſticis præeminentijs quibuſcunq;, ipſisq; adhærentes clericos ſuis eccleſiaſticis beneficijs, & dignitatibus priuauit, ea diſpoſitioni ſuæ reſeruando. Econuerſo autem prædictus Clemens in Auinione tũc cum ſua Curia reſidens, ut præfertur, contra dictum Vrbanũ eiusq; Cardinales & ipſis adhærentibus pœnales proceſſus fecit. Et illorũ proceſſuum occaſione magnæ aduerſitates, ac præuaricatiões in diuerſis regnis & prouincijs oriebantur, multi etiam infelices prælati & presbyteri, ac clerici, qui dicto Vrbano obedierũt, per pleroſq; de alia obedientia per mare, ſeu terras tranſeuntes capiebãtur, & male tractabantur,

tractabantur, quorum multi in aquis ſubmerſi, aliqui ignibus cremati, nonnulli etiam alia ſæua morte perierunt. Multum enim atrociter contra obedientes dicto Vrbano præfatus Clemens, & ſui Cardinales ac eorum complices in principio dicti ſchiſmatis ſe habuerunt, & tanta in populo Chriſtiano facta fuit ex præmiſſis ſubito diuiſio ubiq; locorum, quòd de hoc multi in ſtuporem conuerſi ualde mirabantur, multi etiã ōpida, uillæ, ciuitates & caſtra in eiſdem regno Siciliæ & in prouincia dicti patrimonij beati Petri in Tuſcia, necnon Marchia Anchonitana, & Campania Romana, & alibi per guerras uiolenter capta & deſtructa, & etiam multa monaſteria, & eccleſiæ penè totaliter deſolatæ, & multæ ſtrages hominum, deprædationes rerum, necnon alienationes bonorum, & iurium proprietatum eccleſiarum & monaſteriorum in urbe & in alijs diuerſis locis conſiſtentium fiebant continuo, ac alia innumerabilia mala ſequebantur exinde.

Caſtellum S. Angeli traditur &c. Caput XX.

TAndem uero poſt longam eiuſdem caſtri ſancti Angeli obſidionem, ſcilicet quaſi per annum integrum dicti Romani prædictum caſtrum ab eodem Capitaneo ſeu illius cuſtode per pacta receperunt, qui multum uiriliter illud quouſq; ſibi defecerunt uictualia defenſauit, paruipendens impugnãtium machinarum & bombardarum crebros ictus. Iſtud caſtrum habuit plures meatus ſubterraneos opere ualde pulchre, & adeo latos, quòd duo equitare in eis, aut quinq; pedibus ſimul ire poterant, & longe protendebantur ab eodem caſtro, & erant facti de lateribus ſatis ſubtilibus & pulchris, quorum quidam meatuum aliqui durante prædicta obſidione reperti, & detecti fuerunt, ut egomet uidi, & de hoc omnes uidẽtes mirabantur. Quo quidem caſtro habito Romani muros eius ex quadratis lapidibus marmoreis albiſſimis ualde magnis compoſitos, & etiam muros archi, ſeu carceris dicti caſtri ex ſimilibus lapidibus factos diruerũt, ac plateas in ipſa urbe in diuerſis locis ex illis reformarunt, tamen dictum caſtrum non potuerunt omnino deſtruere, unde ſuper illud quod remanſit poſtea Bonifacius Papa IX. in eadem obedientia Papæ VI. prædictum caſtrum de lateribus ſiue coctis lapidibus ſatis forte fecerat reformari.

Conſilium Vrbani de nepote ſuo extollendo. Item de regibus Hungariæ atq; Siciliæ. Caput XXI.

C Iſtis

ISTis uero taliter procedentibus ſucceſſit etiam obediētiæ
ipſius Vrbani ciuitas & patria Leodienſis, fugato per Le
odienſem quēdam perſando de Rupeforti, quem dictus
Clemens eis dederat in Epiſcopum, ſibiq; Arnoldo de
Horne tunc Traiectenſi Epiſcopo per translationem à ſede Traiectē-
ſi per ipſum Vrbanum factam ſurrogato. Conſpiciens igitur idem
Vrbanus, quòd tempus eum inuitabat, ſibiq; proſpere in eius obedi-
entia prædicta ſuccederet, iterum cœpit cor ad alta erigere, & ad ex
ecutionem realem dictorum proceſſuum procedere, quondam domi-
num Martinum uulgariter nuncupatum Tarentinenſem, & Camera-
rium ſuum de Amalſia natum, ad dictū Ludouicum regem (præfa-
to Imperatore tunc defuncto) deſtinauit, exhortando eū, quòd quon
dam dominum Carolum poſtea regem Siciliæ, & modernum domi-
num Ladislai regis Siciliæ genitorem, tunc ducem Duraciæ, & ciuita
tis Iaurienæ in Sclauonia Rectorem, & apud eundem dominum Lu-
douicum regem in Hungaria exiſtentem, ſibi cum decenti armigero-
rum comitatu deſtinaret ad urbem, quia eum dicto regno Siciliæ in
regem præficere & iuuare uellet, adeo quòd poſſeſſionem regni adi-
piſceretur. Dictus autem Carolus dux, qui tunc erat iuuenis, & ſecun
dum eius ſtatum pauper princeps, & eidem dominæ Ioannæ reginæ
in propinquo conſanguineitatis gradu coniunctus, quæ quidem re-
gina eum, ipſiusq; uxorem dominā Margaretam de Duratio matrē
eiuſdē domini Ladislai regis à pueritia, ut dicitur, enutriuit, & cuius
compater idem dux Otto erat, qui ipſum Ladislaum regem de ſacro
fonte leuauit, inuitus onus huiuſmodi iſtis reſponſionibus accepta-
uit, etiam pro eo, quia ſemel ſponte iurauit, ut dicebatur eoſdem Ot-
tonem ducem & eius uxorem dominam Ioannam, ita quòd nihil con-
tra eos ipſorumq; ſtatum unquam attemptare uellet, & ſuper hoc eo-
dem Carolo recedente à dicto regno Siciliæ, ac tranſeunte ad ipſum
regnum Hungariæ, remanſerūt prædicti domina Margareta, & eius
natus Ladislaus rex, eiusq; ſoror domina Ioanna poſtea duciſſa Au-
ſtriæ, tunc pueri apud dominum Ottonem ducem & Ioannam regi-
nam ſub tutela eorundem, interea quòd ipſe Carolus rex in Hunga-
ria fuit cum Ludouico rege, & cum domina Margareta ſenſit, quòd
rex Carolus ad requiſitionem Vrbani, ſe de ipſo regno Siciliæ intro-
mittere uellet, & tunc ad caſtrum ciuitatis Hiſerniæ ſatis firmū, quòd
cum eadem ciuitate prius domina regina ſibi donauit liberaliter, cū
dictis pueris hoſpite inſalutato declinauit, ubi uſq; ad aduentū dicti
regis Caroli ad ipſum regnum Siciliæ remanſit. Præfatus uero rex
Hungariæ cogitans quòd erat ſenio confractus, & parum præ anti-

Carolus dux Duratiæ.

quitate

quitate uiuere poſſit, ac timens quòd ſi decederet dicto Carolo in regno Hungariæ exiſtente, quòd Hungari ipſum reciperent in regem, dictamq; Mariam eius filiam, cuius ſororem nuptam habuit quondã Vilhelmus dux Auſtriæ, etiam ex ordinatione dicti regis Ludouici cum regno Cracouiæ, quod tunc etiam idem Ludouicus rex pacifice poſſidebat, à prima hæreditate excluderet, unde dictum Carolum in duxit, quòd onus regiminis dicti regni Siciliæ in ſe aſſumpſit. Sed rex Ludouicus ut dicitur recepit ante ab eodem Carolo iuramentũ, quòd nunq; contra ipſas filias eiuſdem regis Ludouici facere, aut Hũgariæ, ſiue Poloniæ regna huiuſmodi, uel aliqua alia dominia eis debita conquirere, ſeu recipere uellet. Quo facto dictus rex Ludouicus eundem Carolum ad Italiam cum competenti exercitu deſtinauit, quem tandem uenientem ad eandem urbem dictus Vrbanus ſatis benigne recepit, & poſtq; quemcunq; uoluit ipſe dictus Vrbanus, & dictus Carolus rex, licet inuitus ei conceſſerat, ipſum regem Siciliæ coronauit, oportuit enim ipſum Carolum Franciſco Prægnano cognominato Rutillo, nepoti præfati Vrbani, de quo ſupra feci mentionẽ effœminato & ĩutili, Capuani & Amalſitani ducatus, & multos nobiles comitatus in eodẽ regno Siciliæ ante oĩa cõcedere, ita Papa uolente.

Spoliantur atq; denudant̃ à Pontifice ædes ſacræ. Cap. XXII.

ET quia rex Carolus præfatus pro tunc carebat pecunijs, ſine quibus nullatenus proficere poterat ad acquirendum Siciliæ regnum, unde proprietates & iura eccleſiarum & monaſteriorum urbis dictus Vrbanus in magna parte multis ciuibus Romanis ad ſubueniendum eidem regi Carolo in acquiſitione regni præfati uendidit & diſtraxit ultra ſummam LXXX. milia florenorum, etiam aureos & argenteos calices, cruces, & alia preciosa iocalia earundem eccleſiarum, & monaſteriorum in magno numero & ualore diſtrahendo, & alienando, necnon multas imagines ſanctorum etiam argenteas tunc conflando in monetam reduci fecit, & pecunias quæ exinde peruenerunt, ipſi regi Carolo pro ſoluendis ſtipendijs ſuo exercitui aſſignando.

Carolus Duraciæ dux fraude Neapolim obtinet. Cap. XXIII.

IPſe autem rex Carolus cum modica gente armigera reſpectu tanti negotij ingreſſus fuit ciuitatem Neapolim per fraudem quorundam ciuium Neapolitanorum, & in

eadem pluribus diebus ſtetit, præfato domino Ottone duce cõtinue dictam ciuitatem interim ad portam cum ualido exercitu obſidente, ſed cum iam dictus Carolus ſuum & ſuorum omnium interitum præ oculis conſpiceret imminere, ad aliam cautelam ſe conuertit. Vnde uidentes illi Neapolitani, qui eum introduxerunt, ſe deficere in conceptibus eorundem, quendam militem Neapolitanum antiquum & pauperem, quem dicta domina Ioanna regina ſatis honorabat, & dilexit, de quo etiam dictus dominus Otto plurimum confidebat, quia tunc tẽporis dicta domina Ioanna in caſtro nouo per ipſum Carolum regem & ſuos complices obſidebatur, & in ipſo caſtro nõ erãt multa uictualia, ita quòd illud regina ipſa diu tenere non poterat niſi per ipſum dominum Ottonem manuforti dicta obſidio ſolueretur, tractabant quòd aliquod conſilium daret eis miles ipſe, quo dictum dominum Ottonem dolo uincere poſſent. Qui quidem miles tale ipſis dedit conſilium ut audiui, quòd ipſe ſecretum ſigillum dictæ dominæ Ioannæ reginæ falſificari facere, dictoq; Ottoni ſcribere uellet, nomine dictæ reginæ, quòd ipſe ad eã illa nocte cũ ſex perſonis ſibi magis charis ad dictũ caſtrum accederet, alioquin ipſa caſtrum diutius tenere non poſſet, ſicq; ipſa ad manus hoſtium miſerabiliter deueniret, eſſetq; datus ordo, quòd dominus Otto circa horam expreſſam tunc tute ad eam accedere, ac deinde ad eius exercitum redire poſſet. De hoc enim dicta domina Ioanna nihil ſciuit. Ipſe autem dominus Otto perlegendo huiuſmodi ſimulatam literam, credidit quòd eſſet ipſius dominæ litera uera, & ſtatim noctis inſtantis ſubſilentio dictos Marchionem Montisferrati, quem ualde dilexit, necnon Balthaſar ducem Brunſuicenſem eius fratrem ex patre decorum, fortiſſimum & ſtrenuum militem, maritum unicæ filiæ dicti Honorati comitis Fundorum, & tres Capitaneos de quibus confidebat, duntaxat ſecum duxit, ſed medio tempore quoddam foſſatum factum fuit ex dolo dicti militis in itinere, per quod dux & ſocij tranſiuerunt, & illic inſidiæ. L. uirorum prope dictum foſſatũ poſitæ in abſconſo fuerũt, quo cum dictus Otto perueniret, ipſemet quintus, quorum unus fuit dictus Marchio cum equis eorum in huiuſmodi foſſatum ceciderũt, & illic dicto Marchione & tribus ſuis comitibus interfectis per eos q inſidiabantur, & præfatus dominus Otto captus, & ad eundem regẽ Carolum captiuus ductus fuit ſolus, eodem domino Balthaſar ad huiuſmodi exercitum fugæ ſubſidio ſubito cum planctu & merore maximo reuertente, qui tamen poſtea caſu repertus, & ad manus dicti Caroli perductus, de ipſius Caroli mandato exoculatus fuit Neapoli in publico foro, ubi olim innocens iuuenis Coradinus rex & hæres dictorum

Tradimentum.

Otto inſidijs petitus atq; captus

Balthaſar dux Brunſuicẽ exoculatur.

dictorũ regnorum Siciliæ, & Trinacriæ, & dux Sueuiæ de mandato
Caroli primi regis Siciliæ; de quo ipſe rex Carolus deſcẽdit ut fert,
cum aliquibus ducibus extiterat decollatus.

Coradinus rex Siciliæ et dux Sueuiæ capite truncatur.

De fortitudine Ottonis ducis eiusq́ uxoris aliorumq́ ducum detentatione. Caput XXIIII.

CVm autem dictus dominus Otto ad præſentiam eiuſdẽ
regis Caroli perueniret, idem rex Carolus ei inceperat im-
perare dicens, quo animo ipſe dictum regnum Siciliæ cõ-
tra eum præſumeret detinere. Cui dictus dux reſpõdit di-
cens, quòd nihil ſibi de ipſius Caroli regno conſtaret, ſed regnum do-
minæ ſuæ prout tenebatur contra ipſius dominæ hoſtes pro poſſe fi-
deliter defenſaſſet, quodq́ aliud in ueritate dicere nemo poſſet, nec ca-
put nec genua coram ipſo Carolo flexit. De quo ammiratus idem rex
Carolus eum in carceribus trudi mandauit, in quibus penè per trien-
nium remanſit. Sed ecce mirum factum, idem dux Otto fuit pruden-
tiſſimus ac ſtrenuus nimis in factis armorum à puericia in talibus po
tiſſime in partibus Lombardiæ ac pedemontiũ enutritus, nam à ple-
riſq́ audiui, quòd ipſe in. XL. bellis campeſtribus contra prædictos
dominos Bœnabouẽ & Galeatiũ, necnon diuerſos alios potentes do-
minos & tyrannos pugnando feliciter triumphaſſet. Aquenſem, Pati-
enſem & Vercellenſem ciuitates, & multa loca & caſtra fortiſſima ex-
pugnando cœpit, & erat ſuis hoſtibus duriſſimus, & poſtea tamen in
puncto corruit, cum quo ſic improuiſe cadendo totum illud regnum
Siciliæ, necnon ipſa domina Ioanna regina, eiusq́ nobiles & ſatrapæ
pro maiori parte infra dies paucos captiui etiam ad manus dicti Ca-
roli peruenerunt, prædictus etiam eius exercitus ſine defenſione ſubi
to poſt captiuitatẽ dicti domini Ottonis per paucos reſpectiue dicti
domini Caroli regis auxiliatores diſperſus & cõtritus euanuit, & hoc
contigit, ut fama laborat, artificio & incantatione cuiuſdam uagabun-
di, qui ſe militem eſſe dicebat, multas ſciens exorciſationes, uel incan-
tationes facere per artem Magicam, quem per paucos dies ante Ro-
mam uidi, qui per ipſum regem Carolum tunc, & etiam poſtea, quan
do dux Andegauenſis regnum Siciliæ intrauit, per eundem Carolũ
inductus precio, eidem duci Andegauenſi & eius exercitui occurrit
in limitibus eiuſdem regni Siciliæ, necnon dictis incantationibus eti-
am ducem Andegauenſem & eius exercitũ ludificare ſatagens, cogni-
tus autem per aliquos, qui in eodem exercitu dicti ducis Ottonis ſuc-
cubuerunt, ac uiuus apprehenſus & ad trabem alligatus ad ignem

de mandato dicti ducis Andogauenſis combuſtus occubuit. Dictus autē Robertus de Ortheys, natione Gallicus, maritus dominæ Mariæ ſororis dictæ dominæ reginæ Margaretæ, etiam tunc captiuatus ad manus dicti Caroli peruenit, & in carceribus diē clauſit extremū.

Ioannæ reginæ in carcere iugulatione. Caput XXV.

Ipſa uero domina regina Ioanna ſtatim poſtq̃ ſenſit quòd dictus dominus Otto uir ſuus captus erat ut præfertur, confiſa quòd ſibi ſaltem ſalua maneret uita, ſe tradidit prædicto Carolo, quam captiuam & diligenter cuſtoditā ad quoddam caſtrum in Aprucio deſtinauit, in cuius quidem caſtri capella poſtea cum quadam die oraret ut fertur, ſedens ante altare genu flexa, de mandato ipſius Caroli per quatuor ſatellites Hungaros fuerat ſtrangulata, & dominam Mariam præfatæ dominæ Margaretæ ſororem ſemper ex tunc detinuit in ſtatu miſero quam diu uixit, quãq̃ in eadem captiuitate in caſtro prope Neapolim, quam aliquando uidi incedere in ſordidis ueſtibus quaſi eſſet paupercula pediſſequa, apud quam poſtq̃ capta erat, in promptu pecunia ultra. LXX. milia florenorū auri reperta ad fiſcū dicti Caroli peruenerūt. Sed ante hoc ut aliquot pecuniarum ſubſidium impartiretur pro ſtipendiarijs tenendis contra ipſum Carolum requiſitam per eandem dominam Ioannam reginā, negabat ſe aliquas habere pecunias, nec ad illud unū obolum ut æſtimo exburſaſſet, nec mirum, quia non eſt auaricia ſup auariciam mulierum, ut experientia docet, & aliqui dixerunt, quòd ueneno ſumpto dicta domina Margareta cōſcia ſeu mandante perijſſet, præterea dum in prouincia in Gallia ſentirent ſubditi ipſius dominæ Ioannæ, quòd in ipſo caſtro nouo in Neapoli, quòd prope portum maris conſiſtit, per eundem regem Carolum obſideretur, ipſi multas galéas forte numero. XIIII. in ſuccurſum dictæ dñæ armarūt, & in eis multi experti nautæ ac etiam armigeri ad Neapolim recto tramite nauigarunt, quo uenientes & in ueritate comperto per ipſos, quòd dicta domina capta & abducta fuerat ut præfertur ad uindicandam dictam dominam, ex tunc ſe dicti ducis Andogauēſis obſequijs ſubdiderunt, multa terribilia in eodem regno Siciliæ committendo.

De ſæuitia ac tyrannide Cardinalis de Sangro in Siculos Epiſcopos atq; clericos. Caput XXVI.

Sed

Sed dominus Cardinalis de Sangro, de quo plura dicentur inferius natione Aprutinenſi de Baronum genere, cum ipſo Carolo legatus de latere per eundem Vrbanum ad ipſum regnum Siciliæ deſtinatus, multū crudeliter Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, presbyteros, & clericos, qui dictæ reginæ Ioannæ adhæſerunt, aliud forte facere non ualentes, ſi ſuis prouentibus eccleſiaſticis in ipſo regno gaudere ualebant plurimum afflixit, multos eorum in eculeo, ſeu ad quæſtiones ponendo, eccleſiaſticis etiam prælaturis, atq; alijs titulis eccleſiaſticis rebusq; ac bonis eorū inhumaniter ſpoliando, nec parcendo in hoc ætati, ſacerdotio ſtatui, aut ſcientiæ uel uirtuti, nec compatiendo in hoc prælatis, & Epiſcopis, etiam quantumcunq; miſeris, & in tanto diſcrimine conſtitutis. Credidit enim ſacrificium offerre ſe deo ſic omnes ipſos miſeros perturbando, qbus ut nihil deeſſet calamitatis, & miſeriæ, dictus Vrbanus alios ſubſtituit paſſim Archiepiſcopos, Abbates & clericos in eccleſijs, monaſterijs & beneficijs eorundem, & adeo generaliter, & ſine perſonarum differentia, quòd una die creauit dictus Vrbanus xxxii. Archiepiſcopos, & Epiſcopos omnes natione Neapolitanos, illos potiſſime, qui partem dicti Caroli in ingreſſu eius in Neapolim fouerunt, quos omni honore dignos reputabat, & adeo miſer & iners Neapolitanorum clericus ea uice uix reperiebatur in urbe, qui non fieret Archiepiſcopus uel Epiſcopus, aut Abbas uel prælatus per eundē Vrbanum, dummodo talis uellet eſſe. Sed quantumcūq; bene, & proſpere ſucceſſerat eidem Carolo in acquiſitione dicti regni Siciliæ, ut prædixi, ueruntamen eiſdem eccleſijs & monaſterijs urbis, quorum propter ipſum poſſeſſiones, iocalia & iura propria erant, in magna parte uendita & diſtracta, ut ſuperius tactum eſt, compenſationem aliquam nullam impendit.

Neapolitanorum fortuna atq; ſucceſſus.

Ludouicus dux Andegauenſis à Clemente rex Siciliæ declaratur. &c. Caput xxvii.

Igitur cum dicta domina Ioanna regina ſic uitam miſere finiuiſſet, dictus quondam Ludouicus dux Andegauenſis pater iſtius domini Ludouici moderni ducis, quem nunc regem Siciliæ nos Curiales, & uulgus appellamus, per eundem Robertum contendentem cum eodem Vrbano de Papatu, coronatus in regem Siciliæ cum ingenti ſcilicet lx. milia hominum & ultra, ſed debili, ſeu imbelli exercitu Gallicorum, Italiam intrauit. Et tunc temporis fuerunt in eadem prouincia patrimonij ſancti

Petri

Germani præfecti militum in Italia.

Fortitudo ducum Germanorum.

Petri in Tuſcia duo ualentes capitanei Alemani, ſcilicet Petrus de Corona, & Vilhelmus Villenbach milites ſtrenui & rei militaris experti, habentes etiam propria caſtra & terras, quas ibidem acquiſiuerunt manu forti, hos dictus dux Andegauenſis cum ſexcentis lanceis armatorum, qui ſub eiſdem capitaneis militabant, ſuis obſequijs mancipauit, qui tamen ad eum dum ipſe apud caſtrum Magdalonenſe in terra laboris per gentes armorum dicti regis Caroli obſidebatur, & eodem duce tunc exiſtente penè in ultimo neceſſitatis articulo illuc acceſſerunt, & inuitis hoſtibus ipſum de illo loco ad alium locum tutum uerſus Apuliam per LX. miliaria diſtantem duxerunt, nec mora ipſo duce illuc producto præfati capitanei pedeſtres per montes & uias extraneas redeuntes, in eundem exercitum dicti regis Caroli in primo noctis crepuſculo irruerunt, & multos ex ipſo exercitu interfecerunt, aliquos etiam captiuarunt, & reliquos in fugam conuerterũt, ubi omnes ipſi Alemani armis deuictorum, & uictualibus poſt lõgas inedias, quas ante paſſi fuerunt, eundo per longa, & periculoſa itinera ſe optime refecerunt, & in eodem loco ubi uictoriam habuerunt per triduum aduerſarios expectarunt, ſed nemine comparente dictum dominum Ludouicum ducem cum uictoria & lætitia ſecuti fuerunt, quibus aduenientibus multum de tanta uictoria lætabatur, mirando quòd ipſe cum ſuis Gallicis quos ſecum in tanta copia duxerat, nullã uictoriã conſequi poterat in Italia, & quòd tam pauci Alemani multa milia aduerſariorum tam ſtrenue proſtrauerunt, fugarunt. Et tũc exaltatum eſt cor eius ſpem habens, quòd cum adiutorio eorundem Alemanorum in ipſo regno proficere poſſet, unde ipſos uocauit ad ſe dicens. Amici dilecti, circa me optime feciſtis, ſed reſtat ut ulterius eamus, quia in hoc loco nobis aliquãdiu ſtantibus timeo quòd deficerent nobis & noſtris uictualia, igitur conſulite quæſo in tẽpore opportuno, qualiter caute ulterius procedamus, ne forte aduerſarij noſtri nuper proſtrati uires reſumant, & nobis deficiẽtibus uictualibus præualeant. Ad quod ipſi Capitanei reſponderũt dicentes, quòd eos permitteret hanc rem peragere, ſed ſolum dux ipſe genteſq; ſuæ ſpecularent poſt eos ſollicite die, noctuq;, ſi forte multos ignes in aliquo loco conſpicerent, & illuc ſequi dux ipſe cum toto ſuo exercitu & appropinquare curaret. Placuit hoc ipſi duci, tamen eos obnixe rogauit, ut propriam uel ipſius ducis ſalutem reſpicerent, & nil temere uel incaute agerent. Ipſi autem his auditis & ualedicto cum ſua comitiua ab eodẽ duce receſſerunt, iter agentes nocturno tempore ſemper, ac de die in nemoribus repauſantes, tandem ad quoddam caſtrum in Apulia Sẽmiarum nuncupatum, quod erat eiuſdem regis Caroli, improuiſis in colis

Cõmendat Germanos Ludouicus Gallus.

Arx hoſtiũ à Germanis capta.

colis peruenerunt, quòd noctis ſubſilentio cœperunt, & fugientibus uiris pro magna parte mulieres ac uirgines & paruuli remanſerunt in eo; & mœnia dicti caſtri uictores ipſi aſcendẽtes, ſuper turres ipſius magnos ignes circumcirca fecerunt, quos cum à remotis gentes dicti ducis Ludouici conſpicerent, admodum exhilarati exinde paſſim etiam ad dictum opidum acceſſerunt circa feſtum ſancti Martini confeſſoris, in quo repererunt uini, fœni, frumenti, bladi, atq; aliorum uictualium copiam magnam, quæ ipſis uictoribus ibidem hiemantibus ſufficiebat. Et interim Tarentum & Barenſem ac multas alias ciuitates, atq; terras in eadem Apulia ac uicinis regionibus conſiſtentes dux ipſe cum ſuis gentibus acquiſiuit, quaſdam ui & aliquas mediantibus tractatibus prout aliquando fieri conſueuit in partibus illis, interim Carolo rege prædicto in Neapoli remanente. Poſtq; autẽ præfatus Ludouicus cum eius exercitu de ipſo loco recedens Apuliam ulterius penetraret, habitatores & incolæ dicti loci, qui prius metu ducis & exercitus huiuſmodi abinde fugerant, ad ipſum locum cateruatim redeũtes, uxores & filios & filias ſuas, quas inuenerunt de forenſi prægnantes, gladijs crudeliſſime feriendo perimerunt. *Gallorum intemperãtia.*

Quomodo Vrbanus à Roma Neapolim profectus ſit. Caput XXVIII.

DVm hæc agerentur timens forte dictus Vrbanus, quòd præfatus Carolus rex per negligentiam, ſeu deſidiam dictum regnum perderet, illudq; ad manus dicti Ludouici ducis perueniret, necnon ut aliqui dicere uolunt dedignatus contra eundem regem Carolum pro eo, quòd ipſe rex præfatus Capuæ, & Amalfitanæ ducatus non aſſignauit realiter Franciſco nepoti eiuſdem Vrbano, omnino diſpoſuit de Roma perſonaliter accedere ad ipſum regnum Siciliæ, prout fecit, unde in principio menſis Maij, pontificatus ſui anno quinto tunc regente mortalitate in urbe, ad Tiburtum acceſſit, & ibi per menſem uel circa degendo. Inde tranſiuit ad caſtrum Vallemontanis ſatis ineptum, & nimis ſtrictum in Campania pro ſua Curia, ueruntamen ibi per duos menſes uel circa ſtetit ac in principio menſis Septembris inde recedens, acceſſit ad ciuitatem Ferentinam, in qua uſq; ad feſtum ſancti Michaelis tũc inſtans remanſit. Sed quia ſex uel ſeptem de ſuis Cardinalibus, qui cum adhuc eſſet in urbe ſibi conſulebant, quòd nequaquã ad ipſum regnum Siciliæ iret, cauſam aſſignantes quòd ſi illuc accederet, ipſe & omnes ſui ſequaces grandiſſima poſſent ueriſimiliter ſubire pericula, prout *Vrbani pertinacia atq; duritia.*

ipſi à pluribus perceperunt. Ipſe dictis conſultationibus nullatenus acquieſcens, utiq; ire ad dictum regnum uoluit, & qui contrariū conſultabat, hunc quaſi pro inimico aut fatuo habuit, qui autem ſecum in ſua opinione remanſit, hunc fauoribus & gratijs quibus potuit proſequebatur, & tractabat amice, prudentemq; & prouidum reputabat. Qui quidem Vrbanus tunc in eadem ciuitate Ferentinant exiſtens uocabat eoſdem Cardinales, qui adhuc erant in urbe, quòd ſtatim ſe ſequerentur eum, ſed quia ipſi tam propter paupertatem, qua grauabantur, q; uiarum intermediarū magna diſcrimina, quia Britones pro ipſo Clemente ciuitatem Anagniam, quæ conſiſtit in ipſa Campania Romana & prope terras dicti comitis Fundorum, qui tunc uixit, & partem dicti Clementis fouebant (& diſtat à præfata ciutate Ferentinant per unum miliare Alemanicum ſeu quinq; miliaria Italica) tunc tenebant, qui homines & loca uicina, quæ de ipſius Vrbani erāt obedientia, crebrius ſpoliarunt bonis eorum, ipſoſq; male tractarūt. Illuc ire cum non auderent ipſi, Vrbanus ipſos reputans ſibi rebelles & contumaces, multos ſcandaloſos proceſſus contra eos fecit in eadē ciuitate Ferentinant, in quibus quidem proceſſibus improperia multa recitauit contra ſingulos eorundem, & ipſos Cardinalatus honore priuare diſpoſuit, niſi eum infra breui temporis ſpacium ſequuti fuiſſent, quos poſtea cum magna pecunia uenientes ad Neapolim uix inſpicere uoluit uel audire, tamen mediantibus aliquorum magnatum precibus poſtea gratioſe admiſit eos, & licet ſingulis penè diebus de hoc regno Siciliæ multi eccleſiaſtici prælati, & magnates ſtatū & honorem dicti Vrbani diligentes, ſibi etiam tunc in Ferentinant conſtituto, conſulendo ſcripſiſſent, ne ulterius procederet, quia ſi ſecus faceret, timerent quòd ſe & ſuos magnis periculis inuolueret, ac forte poſtea retrorſum cum uellet abire non poſſet.

Itinera obſeſſa atq; infeſta.

Admonitio amicorum.

Vrbanus Campaniam intrat, atq; à Carolo rege ſalutatur. Caput XXIX.

IPſe Vrbanus autē huiuſmodi conſilijs ſpretis ſtatim poſt dictum feſtum ſancti Michaelis inuito etiam dicto rege Carolo ad præfatum regnum Siciliæ per eandem Campaniam iter agendo ulterius acceſſit. Primo uidelicet ad caſtrum Friſolonis, & die ſequenti ad caſtrum ſancti Ioannis in eadem Campania, & deinde per flumen quòd prope labitur equitando, ad penetralia dicti regni, ſcilicet ad ſanctum Germanum ſubtus præfatum monaſterium Montiſcaſini, in quo ſanctus Benedictus cōfeſſor obijt,

obijt, & deinde ad ciuitatem Sueſſanam, quã tũc tenuit Ammiratus, peruenit, in qua diu ſtetit, quia eſt in ſalubri aëre, bonis uictualibus & uino multum delectabili & guſtui placido abundans, & poſtea ad ciuitatem Capuam, & deinde ad Auerſam declinauit. Sed cum prope quandam capellam pulchram & nouam iuxta uiam publicam ab iſta parte Auerſæ cõſiſtentem, quaſi per medium miliare Italicum peruenerat, deſcẽdit de equo, & ſe pontificalibus ueſtibus adornauit, ueſtitus equum rurſus aſcendit, ubi occurrit ei me præſente rex Carolus præfatus indutus nigris ueſtibus, nec per iter rectum, ſed per uineas equitando, & cum prope Papam eſſet, ipſum ſalutauit, quo facto multi ruſtici aduenientes pedes dicti Vrbani oſculabantur ibidem, ſed anteꝗ̃ hæc facerent terram, ſeu humum tribus uicibus oſculati fuerũt. Rex uero præcedens Pontificem, egit officium ſcutiferi, quem Papa cum ſuis Curialibus, & exercitu uſqꝫ ad Auerſam ſequebatur. In introitu autem dictæ ciuitatis Auerſæ multæ dominæ, & puellæ ſpecioſæ admodum ornatæ, & circumamictæ uarietatibus, per plateam, quã tranſiuimus ſedebant, & etiam multorum uirorũ frequentia aderat, quibus ipſe Papa benedictionem more ſolito dabat. Sed cum ulterius procederemus in eadem ciuitate uoluit rex, quòd ipſe Vrbanus caſtrum dictæ ciuitatis pulchrum & ſpacioſum ualde, olim per Fridericum ſecundum Auguſtum, ut uetus teſtatur fama, conditum intraret, quòd idem Papa facere non uolebat, timens forte quòd tunc ei accidit & euitare non potuit. Alium uero locum, in quo hoſpitabatur, intrauit, noſqꝫ Curiales per eiuſdem ciuitatis uicos, & plateas euagãtes, pro nobis uix hoſpitia inuenire poteramus, ac difficulter equis noſtris potus permittebatur, quia omnes portæ ciuitatis mox nobis exiſtentibus in ipſa ciuitate claudebantur, quòd cum uiderem incepi cogitare in meipſo, quòd aliquid ſiniſtri contra nos diſpoſitum eſſet, quia ſicut in ſacco tenebamur incluſi.

Carolus rex Neapolitanus Vrbanum excipit.

Author à latronibus ſauciatur. Caput XXX.

Nam per octo dies ante trãſeundo cum dicto Vrbano incidi in quodam paſſu cum pleriſqꝫ ſocijs meis in manus malandrinorum, ſiue latronum, qui me in capite, & brachijs ac in ſpatulis penè ad mortem uulnerarunt, ac infra ipſos dies uulnera ipſa nullo ungento fota, ſeu purgata iam uermiculare, ac putreſcère cœperunt, ita quòd propter defectum medicorũ illa uice fui in maximo periculo conſtitutus, unde ſollicite cogitaui qualiter dictam ciuitatem exirem, atqꝫ ad Neapolim (quæ ulterius ad VIII.

miliaria Italica diſtat) eadem die accedere poſſem, quamobrem acceſſi ad quendam amicum meum tunc eiuſdem regis obſequijs inſiſtentem, ipſum obnixe rogando, quòd ſubito exitum ab eadem ciuitate mihi modis omnibus procuraret, quem pro me cum duobus familiaribus uix ipſe importunis precibus miniſq; adiectis à portarũ dictæ ciuitatis cuſtodibus obtinuit, quo obtento ilico inde recedens, nec in itinere tardans, ad eandem Neapolim ipſa die perueni, quã ingrediens in porta Capuana, prope quam conſiſtit nobile caſtrum Capuanum uulgariter nuncupatum, etiam per eundem Fridericum II. conditum, introiui, & tranſeundo per longam & ſpacioſam uiam, ſeu plateam, quæ Nidus appellatur, reperi eam à ſummo uſq; deorſum tentorijs & pannis precioſiſſimis undiq; ſtratam, credebant enim Neapolitani ciues, quòd ipſa die Vrbanus Neapolim eſſet profecturus, & plures inquirentes à me, dum illic ueneram, ſi Papa ueniret, ſed audientes quòd illa die non intraret, quaſi dolentes abierunt, ſed de ſero hoſpes noſter nobis prohibuit, ne quiſquam noſtrum hoſpitium exiret, nec theutonice loqueretur, oſtendẽs ſe ualde dolere pariter & timere. Vnde nos etiam ſtupefacti, quid conſultius faceremus, utpote inter Scillam & Carybdim tunc poſiti, quòd forſitan malũ contigiſſet Papæ & Curialibus ipſis, uehementiſſime timebamus, nec fefellit opinio, quia mane facto omnes illi panni, qui ſic extenſi per contractas fuerant, ut prædixi, per officiales regios uiolenter proijciebãtur ad terram, & irruentibus illic ciuibus, necnon quid ſignificaret inquirentibus, per eoſdem officiales reſpondebatur, quòd quilibet rediret cum pannis ſuis ad domum propriam ſi eos perdere nollet, quod audientes nos magis timebamus, quia ſubito factum fuit per totam ciuitatem ſilentium magnum, & omnes habitatores illius de huiuſmodi nouitatibus obſtupuerunt.

Authoris ſeruitia.

Imperatoris Friderici arx Neapoli cõſtructa.

Author Germanus.

Vrbanus à rege Siciliæ capitur. Caput XXXI.

Sed ipſius diei hora ſexta clam dicebãt in Neapoli à multis, quòd rex ipſe cœpiſſet Papam, & eum detineret captiuum, & quòd ſecum exiſtentes Cardinales & Curiales eſſent liberi, ac contra eos nihil eſſet penitus attemptatum. De qua quidem captiuitate totus populus Neapolitanus uidebatur ualde triſtari, ſed poſtea infra paucos dies Papa & rex, necnon Cardinales, & Curiales ipſi Neapolim, nõ exhibito eidem Papæ honore Papali, pro tũc per ciues Neapolitanos metu dicti regis, peruenerũt, & in caſtro nouo rex eundem Papam ſub bona cuſtodia collocauit,

ubi

ubi ſtando per aliqua tempora non incluſus carcerali cuſtodiæ, & accedentibus ad ipſum dietim audientiam more ſolito dabat.

Papa rurſus liberatur. Caput XXXII.

DIcti autem Cardinales pro eiuſdem Vrbani liberatione, necnon ad reformandam pacem inter Papam, & regem interim ſollicite laborabant, quam tandem uocalem, ſed non realem inter ipſos fieri procurarunt. Itaque rex flendo publice petijt ueniam à Papa tūc detento per ipſum prout melius potuit, & excuſando ſe cauſasque quare ipſum Papam ceperat, non multum irrationales aut iniuſtas (multorum iudicio) allegādo, ſed plures ex ipſis Cardinalibus, qui tunc diligentius & feruentius pro liberatione dicti Papæ laborarunt, eo mandante, horrēde nimis poſtea trucidati fuerunt, prout ſuo loco hiſtoria declarabit, & tunc inter alia ordinatum fuit inter ipſos Papam & regem, quòd dominus Papa dictum caſtrū exiret liber, atque pro eius libito uoluntatis apud chatedralem eccleſiā Neapolitanam reſideret, prout fecit, quodque tunc per ipſum Neapolitanum populum reciperetur reuerenter, ac honorifice, prout etiam factum fuit, & interim quòd ibidem reſidebat rex, & eius conſors domina Margareta ſæpius ipſum Vrbanum reuerenter uiſitarunt. Ipſe autem Papa ſemper uidebatur contra eos olim præconceptum retinere rancorem, non aduertēs illud, ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.

Franciſcus Prægnanus ſiue Butyllus Pontificis nepos ſacram inceſtat uirginem. Caput XXXIII.

VNde contigit dicto Vrbano tunc apud eandem eccleſiam reſidente, quòd præfatus Franciſcus alias Butyllus eius nepos, quandam nobilem monialem profeſſam, & incluſam de monaſterio ſancti Saluatoris in ipſa platea Nidi conſiſtente, ordinis ſanctæ Claræ, ubi dictus Franciſcus morabatur, uiolenter raperet & etiam uiolaret, ipſam per dies aliquot in eius hoſpitio detinendo, quid mirum, quia ſordibus inuoluti nequeunt dimittere ſordes. Quippe ipſe niſi crapulis, uoluptatibus, ſomno & luxuria deditus erat, nec propterea per eundem Vrbanum aliquando arguebatur, ſed cum diceretur ei, quòd nepos ſuus Butyllus uiueret inhoneſte, fertur aliquotiens reſpondiſſe, iuuenis eſt. licet tunc annum quadrageſimum peregiſſet. Patrato igitur hoc facinore per Butyllum, Indulgētia Vrbani in nepotem nepotiſſimū.

ſtatim fiebat rumor magnus in populo, multi enim dicebāt, ſe nunq̄ audiuiſſe, quòd aliquis tantam auſus fuiſſet in Neapoli contumeliā perpetrare.

Quo pacto dictus Franciſcus regis ſententia damnatus, ſed poſt per Vrbanum liberatus regi reconciliatur. Caput XXXIIII.

VNde rex ipſe hoc ſentiens ualde dolebat, dictumq̄ Franciſcum ad ſe fecerat euocari, ſed ille tanq̄ ſibi ipſi male cõſcius, & timens ſubire iudicium, cõtumaciter coram rege non comparuit, ſed ad eandem eccleſiam ſub tuitione ipſius Vrbani eius patrui fugit, & remanſit ibidem. Sed rex cõtra ipſum iudicium formans, iudicialiter proceſſum tandem contra eum capitalem ſententiam tulit, quòd audiens Papa, dicebat ſe eſſe ſupremū dominum huius regni Siciliæ, unde regem ipſum non poſſe aliquē de magnatibus eo præſente in ipſo regno pœna capitali damnare, necnon portas ſui palatij firmans, & declamans dictam ſententiam fore nullam, die noctuq̄ cum multis armigeris eius palatium fecerat diligentiſſime cuſtodiri. Rex autem ne fieret rumor aut ſcandalum in populo, item cooperantibus eiſdem Cardinalibus ab executione dictæ ſententiæ conquieuit. Sic illud tam famoſum delictum, quia ſic placuit Pontifici, tranſiuerat impunitum, dictiq̄ Cardinales iterum pacē inter ipſum Papam, ac regem, & Butyllum procurantes fieri, dictauerunt in illa, quòd dictus Franciſcus quandam nobilem uirginem ipſi regi propinquitate coniunctam, & magni iuſticiarij regni Siciliæ filiam acciperet in uxorem, quodq̄ rex ipſe quamdiu dux Andegauenſis præfatus eſſet in regno Siciliæ, LXX. milia florenorum daret ſingulis annis pro cenſu ducatuum prædictorum dicto Franciſco. Deditq̄ rex ipſe liberaliter Butyllo tunc nobile caſtrum Luceriæ (diſtās à Neapoli uerſus Salernum per XXIIII. miliaria) cum eius Burgo, uillis, & pertinentijs uniuerſis, Quod fuit olim dicti domini Ottonis ducis, & adhuc eius corporis figura depicta in quadam camera uidetur in illo. Quibus ſic ordinatis, dictus Papa recedēs à Neapoli, Vernali tēpore ad prædictū caſtrū cum ſua Curia & Butyllo declinauit.

De fortuna utriuſq̄ exercitus, & de fonte ueuenis infecto, eiuſq̄ rei cauſis naturalibus. Caput XXXV.

QVibus taliter factis prædictus rex credens ſe Papam omnino placaſſe, parauit grandem exercitum, ac contra ducem An

ſem Andegauenſem tunc Tarenti reſidentem caſtrametatus eſt, ſed finaliter non profecit, licet regis & ducis eorundem exercitus non remote diſtarent, unde deficiētibus tandem uictualibus & pabulis tam magna inedia premebātur, ita quòd indies multi de ipſis exercitibus occurrentes pedeſtres pugnabant inuicem ſe, ut moris eſt hoſtiliter perſequendo. Contigit etiam tunc, ut fama erat, fontem, de quo armigeri ipſius ducis ſæpe biberunt, & equos ſuos aliquando potabant, per aduerſarios clam ueneno peſſimo infectum fuiſſe, propter quod tam homines quàm equi potantes ex ipſo fonte, paſſim deceſſerunt. ac dux ipſe, necnon Amadeus comes Sabaudiæ, qui eundem ducem cum magna multitudine armigerorum ad dictum regnum Siciliæ comitabatur, multi quoq; alij nobiles tunc ut dicebatur de ipſo fonte bibentes moriebantur. Ipſeq; Carolus rex eo tempore ſimiliter incipiens in illa regione febricitare, ad Neapolim infirmus redijt, non habita finali uictoria contra hoſtes. Quòd autem eodem fonti toxicon miſcuerunt, uidetur eſſe fabuloſum, ignorantes enim rerum naturalium cauſas multa fingunt. quis enim eſſet tantæ maliciæ ac inſipiētiæ, quòd fontem ſcaturientem & ſuos riuulos emittentem in longum, de quibus forſan ipſemet caſu bibere poſſet, inficere toxico uellet, ſed quòd infectio illa fontis huiuſmodi aliunde procederet, uidetur eſſe probabile, quia ſecundum medicos, diſpoſitiones euenientes ex motu cœli generāt putredines in uiſceribus terræ, & hæ maxime contingunt ex eclipſibus Solis, & Lunæ & coniunctione planetarum, & præſertim Martis, & Saturni cum alijs ſtellis fixis, & illæ ſunt cauſæ uniuerſales & remotæ. Aliæ uero particulares & propinquæ, ut ſunt uapores corrupti mixti cum aëre uſq; ad minimas partes eleuati a re putrida uel fetida, ſicut quādo aperiūtur cauernæ uel clauſuræ, uel quia aliquæ res habentes aquam corrumpere, fuerūt infuſæ in ea, ut linū, canabis, ſpaltum, uel corpora mortua, uel arbores malarum complexionum, ut ficus & ſimilia, etiam aliæ ſunt cauſæ, quæ habent aquas inficere, ex quibus potantes inficiuntur, & moriuntur. Etiam ſæpe cauſatur peſtilentia in locis illis ubi ſunt aquæ taliter infectæ, & ſic creditur contigiſſe in fonte prædicto.

Fontis naturam ac uim perquirit author.

Hac digreſſione agit Aſtronomū ac Philoſophum cauſas naturales perueſtigans.

De inſolentia, atq; tyrannide Margaretæ reginæ. Cap. XXXVI.

INterim uero, quo dictus rex Carolus extra Neapolim moram traxit, præfata domina Margareta conſors eius, Neapolim & uicinas regiones permiſſione dicti regis tyrannide gubernabat, quæ equitādo per ciuitatem uirilimore

more ſedebat ſuper equum, noctemq; ut fama erat uertebat in diem ludendo ad taxillos cum quibus ſibi placuit, etiam à mane uſq; ad horam prandij per ſingulos dies dormiendo. Hoc fecit etiam in ſuo regimine me tunc in Neapoli exiſtente, atrocia edicta per ipſam Neapolim & uicinas regiones, & inter alia etiam, quòd nemo ſal, carnes, aut candelas ſub pœna capitis uenderet, ſiue ſal de aqua maris coqueret, uel conficeret, ſed ipſa in certis domibus Neapoli & certis diebus in qualibet ſeptimana illa uendi fecit. Et multa ſimilia edicta, nouasq; exactiones à maximo uſq; ad minimũ pœnaliter extorquendo. Vnde ipſe Vrbanus uehementer indoluit, aſſerens talia fieri in eius contumeliam & deſpectum, quia eius Curiales, qui tunc cum ipſo Vrbano morabantur, nec quicq; per dies aliquot nec prece, nec precio pro condimento ſuorum cibariorum potuerunt habere, qui exiſtimãtes hæc eſſe præparatoria multorum malorũ, prout erant inter Papam, regem, & reginam.

De metu, atq; fuga Cardinalium circa Neapolim ſtabulantium. Caput XXXVII.

SEd quia hæc intolerabilia edicta reginæ continue uires aſſumpſerãt, & pertinaciter mandabatur executioni, ideo prædicti Curiales timuerunt ne ipſa regina armigeris mãdaret ut eos ſpoliarent, diſperſi enim erant habitantes in diuerſis domibus ſeu caſis campeſtribus circum circa dictum caſtrũ, & in ipſius caſtris Burgo non bene foſſatis aut alias ad reſiſtendum hoſtibus communitum, ita quòd facile poterant deſtrui, & rebus eorum ſpoliari. Timor huiuſmodi augebatur, ex hoc quòd incolæ regionis erant factioſi, pauperes, & faciles ad prædandum. Quapropter quadam die dominica menſe Auguſto, dum appropinquarent certi armigeri dicto Burgo, ipſi Cardinales & Curiales falſa opinione ſeducti, credentes illos eſſe hoſtes, qui dicta regina mandante aut diſſimulante ipſos Cardinales atq; Curiales uellent inuadere, omnes uniformiter, excepto Cardinali Piſano, ad Neapolim ſubito fugerunt. Ego autem caſu ueniens tunc de Neapoli, ad quam prius acceſſeram, huic fugienti multitudini obuiaui, unde ſtupefactus, à pleriſq; obuiantibus mihi, quæſiui quare fugerent, ſed non percipiens huiuſmodi fugæ cauſam, ad dictum Burgum accedẽs in ueſperis illuc ueni, quòd cum audiſſet ipſe Vrbanus ad me nuncium deſtinauit, ad quem accedens repperi eum ſolum cum domino P. de Piſis aduocato Papalis conſiſtorij loquentem, qui me uidens incepit à me ſciſcitari, quare fugiſſent

Authoris atq; Pontificis de fuga aulicorũ diſſertatio.

giſſent prædicti domini Cardinales & Curiales, cui dixi, quòd timerent ne forte Burgo & iuxta tanq̃ in loco nõ tuto una dierum omnes trucidarentur. Quod cũ audiſſet ipſemet Papa mihi reſpõdit in hæc uerba, Male fecerunt à me fugiendo, ego etiam ſi unicum panem habuiſſem, illis diuiſiſſem. Ad quod reſpondi, Pater beatiſſime ueſtra ſanctitas & eius nepos, ſcilicet ipſe Franciſcus atq; Capitaneus, & familiares ueſtri domeſtici ſunt in loco tuto, ſcilicet in hoc caſtro quòd timere non habent. Sed de ipſis Cardinalibus & Curialibus ſecus eſt, qui ut S. V. nouit, ſunt homines delicati, & imbelles quandoq; rebus uictualibus & alrjs neceſſarijs carẽtes, & prædonibus, ac malis hominibus hic degentibus undiq; circumſepti, unde ſi uideretur ueſtræ S. quòd ſecum Cardinales cum paucis quilibet eorum morarentur in caſtro, tunc non timerent prædones, & alios forte ipſis aduerſari uolentes. Ad quod reſpondens ait, uix mihi meiſq; ſufficit iſtud caſtrũ ad habitandum. Iniungens mihi quòd ſummo mane diei ſequentis Neapolim redirẽ, & ſollicitarẽ ipſos Cardinales & reliquos maiores Curiales, quòd omni timore ſecluſis redirẽt ad ipſum. Et cum illa die immediate ſequenti iniunctum mihi mandatum exequendo iter agerẽ, ad caſtrum turris (quod eſt Archiepiſcopi Neapolitani) plures à longinquo de ipſa Neapoli uenire conſpexi, multos uidelicet equites & pedites, unde progrediendo ulterius repperi duos Cardinales & plures Curiales cum ipſis ad Papam redeuntes, quibus cum exponerem cauſam cur redire deberent, gauiſi fuerunt quòd dictum dñm Papam pro ipſis deſtinaſſet, illiſq; ualedicto ulterius ad Neapolim acceſſi, cæteros de ipſis Cardinalibus & Curialibus ibidem repertos ſollicitando ut redirent ad ipſum dominum Papam, pro ut ſublata mora fecerunt, excepto Cardinali Reatinenſi, qui nunq; ad eundem Papam redire uoluit, Neapoli ſubſiſtendo & res nouas contra ipſum ſollicitando, de quibus non modica poſt hæc ipſi Papæ, & Cardinali diſpendia ut inferius demonſtrabitur orta fuerunt.

Cardinales homines delicati.

Reditus aulicorum.

Cardinalis Reatinus Papæ obaudit mandata, resq; nouas molitur

Arx atq; uallis Luceriæ omnium amœniſſima, atq; fertiliſſima deſcribitur. Caput XXXVIII.

VErum prædictum caſtrum Luceriæ cõſiſtit in fertiliſſima terra, & ſalubri aëre, eſt enim illius territorium ferax optimi uini albi & rubei, grani, atq; frumenti, & aliorum fructuum optimorum in abundantia magna, pulchra planicies, circa illud altiſſimis mõtibus, & fontibus irriguis, & amœnis, quater in anno incolæ dictæ uallis amœnæ ſeminant, agri producunt fru-

Fœlicitas Soli.

ctus diuerſos à uitibus ſuper ulmos protenſis uinum, necnõ oleum ex oleaſtris colligitur abundanter. Ipſiq́ montes ſunt pleni arboribus, præſertim caſtaneis magnis, in quibus creſcunt maiores fructus caſtanearum q̃ unq́ uidi, & ab una parte uerſus caſtrum Amalfiæ in pede montium & ad iter de ipſo caſtro ad Salernum eſt ortus nucum ſiue auellanarum, habens in longitudine tria uel quatuor, & in latitudine unum miliare, quæ quidem arbores nucum producunt tantum copiam annis ſingulis, quòd multis regionibus ſufficerent, ſi colligerentur, ſed porci de illis nutriuntur, quorum ſunt optimæ carnes ſalſæ, & recentes diu durantes atq́ ſapidæ, & nunq́ uidi pinguiores ac maiores capones, & uili precio q̃ reperiunt̃ in planicie præfata. Propterea ipſi Curiales q̃ diu erant tuti, libentius ibi q̃ in alia parte dicti regni Siciliæ remanſerunt. Ab alio uero latere uerſus dictum caſtrum Turris, eſt ille fertiliſſimus mons, quem Summa uulgares appellant, admodum fructifer ualde altus, & in circumferẽtijs magnus, diſtans ab eodem caſtro Luceriæ octo miliaria, cui ſimilis in ubertate ſecũdum eius magnitudinem, ut fama eſt, non reperitur. In illo enim creſcunt optima uina græca ad minus triplicia in anno, ſcilicet magna, mediocria, & minora, quæ ad diuerſa loca & regna ducuntur. Et ſæpius audiui, quòd uectigalia de illa ualerent anno quolibet ultra ducentorũ florenorum. Et uidebis ibi omni anno tempore uindemiarum de lignis caſtanearum in montibus antedictis per incolas ipſius regionis aptari ultra c. milia uaſorum nouorum, quorum quodlibet octo Barilia uini ad menſuram Romanam continet, præter alia infinita uaſa, caratella nuncupata, quorum quodlibet communiter continet quatuor Barilia, in quibus collectum muſtum ex uineis in ipſo monte conditur, & ad loca maritima, Neapolim, & ad diuerſa mundi regna per mercatores in mari (quod tria miliaria Italica à monte diſtat) deportat̃, quod pleriſq́ locis loco Maluatici, & alterius p̃cioſi uini uendit̃.

Montis circa Luceriã fertilitas eximia.

Vberrimus ex theloneo reditus

Attende uaſorum copiam incredibilem.

De tropheo ab Henrico II. in Sicilia erecto. Item de Lothario III. atq́ Henrico VI. ſcitu digniſſima. Cap. XXXIX.

SEd uerſus ciuitatem Salernitanam, quæ diſtat ab eodem caſtro Luceriæ octo miliaria, in eadem planicie reperitur quædam uenerabilis Baſilica, penes quam hodie nemo habitat, & diuino cultu penitus deſtituta eſt, quæ olim ad honorem beatæ Mariæ uirginis ad inſtar eccleſiæ beatæ Mariæ in urbe Aquiſgrani Leodinenſis diocesis conſtructa uidetur per ſanctũ Henricum huius nominis ſecundum Auguſtum Saxonem, cuius reliquiæ

Henricus ſecũdus eccleſiam ob uictoriã cõtra Græcos in Sicilia cõſtruxit.

quiæ in Bamberga requieſcũt, cuius uxor erat ſancta Chunigundis, qui ambo toto tempore uitæ ipſorum ſimul cohabitantes, ut de ipſis canit hiſtoria, uirgines permanſerunt, in ſignum uictoriæ per eum contra Græcos, qui prius illas partes occuparunt, habitæ, ubi tunc magno conflictu debellatũ eſt, ſed imperator eoſdem Græcos glorioſe uicit, & eos ex dicto regno Siciliæ finibus penitus extirpauit, adiuuãtibus eum tunc illis Normannis, qui poſtea dicto Henrico defuncto manſerunt ibidem, & imbelles illius terræ incolas uicerunt, unde paſſim duces & comites in regnis Siciliæ & Trinacriæ, quæ tunc erant ſub Romano imperio, & unicum regnum cõſtituentes, poſtea claræ memoriæ per Lotharium tertium huius nominis Auguſtum, etiam natione Saxonem uiolenter pulſi fuerunt. Sed eo ab hac luce ſubtracto illuc redeunt. Poſtea tres reges Siciliæ auxiliantibus eis quibuſdã ſummis Pontificibus expulerunt, qui ipſa regna uſq; ad Henricum VI. Imperatorem & regem hæreditarium regnorum Siciliæ, & Trinacriæ genitorem prædicti Friderici II. Auguſti procreati ex domina Conſtantia regina & hærede dicti regni poſſederunt, Sub prætextu quòd ipſam reginam à Romana eccleſia ſub tributo ſeu cenſu annuo recognoſcerent. Poſt quos Henricus VI. & poſt eũ Fridericus II. præfati & poſt ipſum Conradus ipſius Friderici natus, Manfredus atq; deinceps Alemani deſcendentes ab ipſis, ac de domo ducum Sueuiæ oriundi uſq; ad tempus Caroli huius nominis primi regis Siciliæ fratris regis Francorum per eccleſiam de ipſo regno Siciliæ inueſtiti, de quo ſuperius eſt mentio facta, prædicta regna iure hæreditario gubernarunt, atq; ipſe Fridericus Auguſtus regnicolis iuſtiſſimas leges dedit, quæ conſtitutiones regni nuncupantur.

Normanni à Germãis Sicilia pulſi.

Veri atq; legitimi hæredes Siciliæ.

Fridericus Siculis leges dedit.

De amœnitate regionis ac ſaltus Luceriani & Salernitani. Cap. XL.

Circa dictum caſtrum Luceriæ in montibus & ſiluis apri, cerui, necnõ aliæ feræ ſiluestres ſunt, propterea dictus dominus Otto Brunſuicenſis, plerunq; illic in regali, & propria poteſtate ad pellendam ſegniciem uenari conſuetus ſolum de feris quas eo agitante capi contigit, duntaxat capite ſeruato reſiduum comitantibus eum nobilibus donauit, adeo autem fertilis eſt illa plaga pariter & amœna, ueluti ager, cui dominus benedixit, ubi etiam prope Burgum prædictum cernitur in campis eccleſia ſancti Priſci, quæ olim fuit Cathedralis, ubi prophetæ Abacuk reliquiæ conſeruantur, & prope dictum caſtrum per girum apparent adhuc fundamenta domorum, indicans quòd olim ibi fuit ciuitas, cuius

nunc ruinæ cernuntur. Sed ipſa ciuitas Salernitana pulchris ædificijs redimita, & ſuper mare poſita ab alio latere montibus aromaticis, & pinguibus undiq; circumdata eſt, in quibus optima creſcunt uina, & uberrimæ arbores, in quibus limones, poma citrina, aranzia, granata, & alij fructus aromatici in maxima abundantia uidentur. Nil mirum igitur ſi in eadem ciuitate Salernitana talibus ſtipata montibus, & prope mare conſiſtente olim uiguerit et iam uigeat ſtudium in medicinis. Illic etiam in maiori eccleſia ſub ſummo altari corpus beati Matthæi apoſtoli ac euangeliſtæ cum magna reuerentia cōſeruatur, prout mihi oſtendebatur dum in feſto eius illuc acceſſiſſem, & prope in Amalfia uidi corpus ſancti Andreæ apoſtoli, quod tamen poſtea, capta ipſa ciuitate per Cathalanos in pleriſq; galeis per mare illic applicantes (nondum uiginti annos elapſi) ut dicitur, ſimul cum ducentis & ultra natalibus puellis ſublatum eſt.

Diui Matthei apoſtoli corpus.
Corpus ſancti Andreę

Proſequitur hiſtoria, Vrbanus cũ curialibus conſultat. Cap. XLI.

POſtq; autem dictus rex Carolus ad propria reuerſus fuerat, forſan impeditus infirmitate qua tũc grauabatur, eundem Vrbanum non ſubito uiſitauit, eoq; maiorem rancorem Vrbanus contra ipſum cœpit habere, quod cognoſcentes Curiales Papæ, ualde timebant in illa plaga diutius manere, & multi eorum Vrbanum precabantur, ut uel amicitiam firmam cum rege faceret, aut pro ipſius, ſuorumq; Cardinalium, & Curialium ſecuritate rediret ad urbem uel ad alium locum extra dictum regnum Siciliæ tutum & aptum pro Curia. At ipſe aliud gerens in mente, reſpōdit quòd ſuper hoc cum ipſis deliberare eoſq; conſulere uellet, unde maioribus ex Curialibus ad ſe pluries in publico accerſitis, ꝓpoſuit, quid eis uideretur agendum conſultius, ſcilicet an ibidem hiemaret, uel ad locum aliquem extra dictum regnũ declinaret. Qui una uoce reſpondendo dixerunt, ſi pacem firmam cum dicto rege Carolo ſe ſperaret habiturum, tunc non eſſet timendum ſi in hoc loco diutius maneret. Si autem de hoc dubitaret, tunc nequaq; ſibi & eis tutum eſſet diutius morari, multas allegantes rationes, & cauſas per quas credebant eum placari. Sed Vrbanus in ſua pertinacia perſeuerans nihil reſpondit. Videntes autem prædicti Cardinales, & Curiales ſe hac ratione non proficere, uehementer timebant eis imminere grandia pericula, ſi illic Papa & ipſi diutius morarentur.

De Cardinali Reatinatq; quorundam doctorum tractatu contra Vrbanum. Caput XLII.

His

HIs ita ſe habentibus dictus Cardinalis Reatinus tunc in Neapoli exiſtens, cum aliquibus Cardinalibus, qui erant cum Vrbano in caſtro Luceriæ & cum quodam Bartolino de Placentia procuratore in Romana Curia, audace, & ingenioſo, qui ſolitus erat plerunq; defendere iniquas cauſas ut quomodolibet lucraretur, is cœpit aliquas quæſtiunculas, quas poſtea perlegi, continentes quòd ſi Papa eſſet nimis negligens aut inutilis ad regendũ, ſed adeo inniteretur ſuo ſenſui, quòd per eius factum periclitaretur uniuerſalis eccleſia, uel eſſet effrenis, ita quòd abſq; conſilio Cardinalium pro libito uoluntatis omnia agere uellet, nunquid liceret idoneum curatorem uel aliquos idoneos curatores per Cardinalium electionem ſubſtituere, iuxta cuius, ſeu quorum conſilio, ſeu rationis dictamine Papa expedire ſingula eccleſiæ negotia teneretur, & talium quæſtionum numero XII. edidit, & pro parte affirmatiua, quod ſic fieri poſſit, multas rationes adducens. Necnon quæſtiones & rationes huiuſmodi per aliquos excellentes magiſtros in ſacra Theologia, & etiam per nonnullos egregios in utroq; iure doctores procurauerat recenſeri, quæ tamen ſub diuerſis opinionibus contrarijs & minus ſufficiẽter enucleatæ remanentes ad manus meas poſtea peruenerunt. Itaq; cum hæc agerentur, Cardinalis de Manupello, de domo Vrſinenſi, Romanus natione, qui tunc prope dictum Burgum morabatur, accedens ſecrete ad ipſum Vrbanum, ſibi hæc omnia reuelauit, affirmans quòd multi Cardinales huiuſmodi uidiſſent articulos & rationes, illiſq; inhærerent, eoſq; articulos Vrbano in ſpecie recitauit. Vnde ſtatim Papa furore acceſus, & cum breui certa die prædicti Cardinales ad ipſum caſtrum acceſſiſſent, atq; cum eo Conſiſtorium ut moris adiſſent, Vrbanus ſtatim finito dicto cõſiſtorio, ſex de ipſis Cardinalibus magis cæteris literatos, in eodem caſtro retinuit, abire ad hoſpitia reliquos permittendo, mox illorum ſex Cardinalium bona ſibi confiſcando, quæ de hoſpitijs eorum recipi, necnon ad dictum caſtrum fecit adduci. Ipſi autem Cardinales retenti, fuerunt quidam doctores & uiri egregij reputati, quos à multis annis cognoui, ac ſtatim factum eſt ſilentium inter omnes Curiales ac uehemens ſtupor, & tremor.

Queſtio inter doctos de cœrcenda poteſtate Pontificis agitata.

[handwritten margin note:] Car. [illegible] a Manupello Vrſinus.

Cardinaliũ doctiſs. cuſtodia mancipantur.

De impudenti quorundam Neapolitanorum petitione, deq; authoris ſollicitudine. Caput XLIIII.

SEntientes uero hoc Neapolitanorum aliqui milites, & militares, cauſa ſeminandi fortiores diſcordias inter Papam

 & regem

& regem Carolum ad eundem Papam clam diuerſis confictis coloribus acceſſerunt, & quia erant auidi ad obtinendum pro ſe ſuiſq; amicis, promiſerunt ſe facturos & ordinaturos ardua multa, præſertim in ciuitate Neapolitana prædicta, quæ caput eſt & inſignis Metropolis regni Siciliæ, & nihilominus quendam rotulum in quo erant multi atq; mirabiles conſcriptæ petitiones Papæ ad ſignandum porrexerunt, quem mihi ulterius idem Vrbanus tradidit ad examinandum, in quo repperi plures ſupplicationes, in quibus petebatur quòd ipſe dominus Papa tali uel tali de Cardinalatu prouideret, & ſupplicabãt recte per modum obtinendi huiuſmodi Cardinalatus honorem, pro ut ad obtinẽdam aliquam expectatiuam gratiam à Papa ad aliquod beneficium eccleſiaſticum uacaturum quis ſupplicari cõſueuit, & alia multa exorbitantia in eadem rotula poſtulabant. Ego autem huiuſmodi perlegens, de illis petitionibus plurimum ammirabar, & ante quamlibet eorundem petitionũ in ſpacio aliquod ſignum feci ad denotandum per hoc ignominiam petentium, & Papam reddendo cautum, quòd eorum temeritatem ſaltem ſub ſilentio argueret. Sed Vrbanus confidens nimium ſeminatoribus zyzaniarum, ita quòd mediantibus ipſorum conſilijs & auxilijs ciuitatem Neapolitanam (expulſo ui rege) cito capere poſſet, dictos ſex Cardinales ſecum retinuit in quadam ciſterna rupta ſtrictius alligatos.

Authoris officiũ circa ſupplicationes abbreuiandas atq; regiſtrandas.

Vrbanus Germanos Epiſcopos galero donat, eoſq; pro concione laudat. Caput XLIIII.

Die uero ſequenti poſt feſtum Epiphaniæ domini, me præſente ad pronunciationem multorum nouorum Cardinalium ipſe in præfato caſtro in publico conſiſtorio exordium ſermonis quẽ tunc fecit, erat: Lætare Germania, & cætera, & nominans eos inter quos erant Colonienſis adhuc uiuus, & Maguntinenſis atq; Treuerenſis Archiepiſcopi, & Arnoldus Leodienſis defuncti, necnon Venceslaus Vratriſlauiẽſis Epiſcopi, ac dominus Petrus de Roſenberg nobilis genere, & honeſtæ conuerſationis presbyter, de regno Boëmiæ natus, qui tamen unanimiter poſt longam deliberationem inter ſe habitam omni ambitione ſemota, huiuſmodi Cardinalatus honorem acceptare noluerunt. licet idem dominus Papa Archiepiſcopis & Epiſcopis præfatis eccleſiarum ſibi commiſſarum adminiſtrationem in ſpiritualibus & temporalibus quoad uiuerent, eis etiam non petentibus conſeruaſſet. Tunc pronunciauit multos Cardinales de Neapoli oriundos, inter quos erat ille inſignis ſymoniacus

Roſenberg Bohemus.

Indigni honoribus aucti.

ſymoniacus Monopolitanenſis, ſed ipſi aſſumere timore dicti regis Caroli non audebant talem honorem, ſed in hoſpitijs eorum diu ut uulpes in foueis, Neapoli latitantes, & ne deriderentur à uulgo, multæ dominæ Neapolitanæ, quibus notæ fuerunt conditiones ipſorũ nouorum Cardinaliũ, me quandoq; audiente dixerunt, uideam maritum tuũ Cardinalem. Noui enim Cardinales Neapolitani omnes dicebãtur habere perſonã ſecundam penes ſe, ſicq; honor flammnei pilei uiliſſime habebatur in eadem ciuitate. Dictus enim Vrbanus rancore & ira impeditus nõ reſpexit, quales Cardinales pro utilitate uniuerſalis eccleſiæ tunc crearet, & interim urgente neceſſitate longe quærens auxilia, per quæ poſſet in neceſſitatis articulo de ipſo caſtro inuitis hoſtibus liberari, miſit ſuos nuncios ad quendam ſtrenuum uirum dominum Raymundum de Baucio, filium domini Comitis Nolenſis de Vrſinis, qui quidem Raymundus erat potens opere & ſermone in eadem Apulia, ſed partem dicti regis nõ fouebat, ſed Clementi ac duci Andegauenſi adhærebat, licet prædictus eius genitor Comes Nolenſis tunc præcipue dignitatis eſſet cum rege Carolo & huic domino Raymundo poſt obitum Ludouici ducis Andegauenſis in Apulia ut præfertur eiuſdem ducis exercitus adhæſit, quiq; demum defuncto eodem domino Ottone principe Tarentinenſi, & in principatu Tarentinenſi ſucceſſit, quem idem dominus Otto poſt ipſius liberationẽ à captiuitate prædicta recuperauit, & in terra Foye in Apulia deceſſit, agens tunc annum LXXX. In ſumma, tantum cum eodem domino Raymundo Vrbanus effecit, quòd cum omnibus ſibi adhærentibus ad eius defenſionem totus inclinabat.

Facilitas Vrbani.

Raymundus de Baucio Comitis Nolanus Vrſinis filius

De examinatione Cardinalium captorum. Caput XLV.

AT interim quadam die circa prædictum feſtum Epiphaniæ ad dictum Burgum, in quo tunc morabar miſit, & iuſſit ipſe Vrbanus, ut eueſtigio ipſum accederem, ad quem cum ueniſſem, ſtatim mandauit, ut portæ caſtri clauderentur, quod ego uidens incepi tremere, ac timens ne aliquod malum mihi inferretur, & qua cauſa me uocauerit tam cito ſciſcitari non potui, ſed amicus quidam hoc conſiderans, clam dixit mihi, nõ timeas, quia non imminet tibi aliquod periculum, ſed prudenter agas conſulo, nec plura dicam. Quibus auditis incepi aliqualiter uires aſſumere. tandẽ ſuperuenerunt Petrus de Alacro ſecretarius dicti domini Vrbani, necnõ Baſilius de Leuanto inſignis pyrata, natione Ianuenſis, dominus Paulus de Iuuenatio de Apulia oriundus, poſtea notarius ſedis apoſtolicæ

Qui ad examen atq; torturam Cardinaliũ fuerunt deſtinati.

apoſtolicæ, necnon Benedictus clariſſimus doctor decretorum, quē poſtea Vrbanus ſuum Camerarium fecit, & quidam Epiſcopus titularis ordinis fratrum Prædicatorū dicti Baſilij conſanguineus, qui ad examinandum mecum dictos Cardinales captiuos per Vrbanum deputati fuerunt, quiq; ſimul congregati ſtatim arcem dicti caſtri, in qua Cardinales captiui tenebātur, fortiſſimam introiuimus, quā tūc quidā miles Neapolitanus ꝑ Butillo cuſtodiuit, quamq; ingreſſi primo acceſſimus ad locum in quo fuit dominus Cardinalis de Sangro, qui quidam locus adeo artus erat & breuis, quòd idem Cardinalis in eo uix potuit extendere pedes ſuos. Concomitante nos dicto Franciſco, qui hortans prædictos Cardinales, quòd libere dicerent eanobis, propter quæ ipſi capti eſſent, & promittens quòd non timere deberent, etiam ſi multum contra eundem Vrbanum peccaſſent, quia dominus Vrbanus non quæreret eorum malum ſeu interitum, ſed ipſis ignoſcere eosq; benigne tractare uellet, ſuper quo etiā ipſe Franciſcus penes dominum Vrbanum intendere fideliter, & ſollicite laborare uellet. Itaq; nos adeuntes ſigillatim omnes Cardinales, ſingulos ſingulis triclinijs recluſos inuenimus eos cathenis onuſtos, quos examinamus ut nobis demandatum erat, ut per iuramenta ipſorum ſingulariter præſtita, nobis dicerent ueritatem. noluit enim nobis Papa dicere ſuper quo ipſos præcipue interrogare deberemus. Quibus ſigillatim examinatis ad Vrbanum ſubito reuertebamur, cui omnia quæ repperimus in examine huiuſmodi, enarraui. Ipſi autem Paulus & Petrus ſtantes ſecus pedes lecti Vrbani ante ipſum flebant amare, nec uerbum præ dolore poterant eructare. De quo Vrbanus ira commotus eis improperabat dicens, quare ploratis ad inſtar debiliū fœminarum, qui ſtatim ab inde abierunt. Ego uero cum ipſo Vrbano ſolus remanens, illi cum magno timore loquebar in hæc uerba, Beatiſſime pater, cur clemētia ueſtra ſe ſuosq; omnes charos & Curiales ſubmittit tot imminentibus periculis, quia nullus iam locus prope nos eſt, ad quem ueſtri Curiales, tot diſpendijs cōſtituti, tute poſſent accedere, nec hic habent locum congruum manendi. Miſeremini ſaltem ueſtrum, ne in manibus hoſtium taliter omnes ſimul pereamus, & ſimus ludibrium hoſtibus, parcite quæſo benigne pater dictis captiuis Cardinalibus, aut iniurias, ſi quæ ſint uobis illatæ per ipſos diſſimulatis ad tempus magis oportunum, quis enim nō peccauit aliquando, & ſæpe cōtigit, quòd hoſtis deuictus ſed benigne dimiſſus, factus eſt uictoris uerus amicus, nec unq; poſtea receſſit ab ipſo. Pietas enim & miſericordia ſemper uigere debent in ſummo Pontifice, nobilis enim animi eſt in bono uincere malum, nec debet eccleſia claudere

Verba authoris Vrbanum placare ſtudentis.

dere gremiũ humiliter redeunti. Sed fruſtra hæc loquebar, q̃a quãto plura dixi, tanto magis ipſe iraſcebatur, & facta eſt facies eius tandẽ p̃ iracundia quaſi lampas ardens, & guttur eius raucedine replebatur, quod uidẽs obſtupui & ſilui ad tempus. Ipſe autem dixit mihi, quòd male informatus eſſem de his quæ contra eum agebantur, ſed cito illa luculentius uiderem. Vnde ſtatim uocauit ſecretarium dicti Franciſci de Amalſia, illi ueniente inueſtigauit ab eo ubi eſſet confeſſio Epiſcopi Aquilani, quem eadem de cauſa in eculeo inhumaniter pridie torqueri fecerat, qui metu tormentorum plura confeſſus erat, & aliquos de ipſis captiuis Cardinalibus huius facti fore conſcios affirmauit. Ego uero legendo confeſſa illius Epiſcopi iterum dixi (licet in magno timore) ad eundem dominum Vrbanum, quòd illa confeſſio non debebat illis captiuis Cardinalibus præiudicare, eo ꝙ nonnulli in tanto diſcrimine conſtituti multa falſa etiam contra ſeipſos, ut pœnam tormentorum ad tempus euaderent quandoq; dicerent mentiẽtes, ſed etiam hoc dicendo non profeci, quia in his omnibus non eſt auerſus furor eius.

Mare Neapolitanum ob pyratas infeſtum. Olei ex petris diſtillantis cauſæ, De Ethna, atq; Veſuuio. Caput XLVI.

INterim uero dictus Reatinus & quatuor alij Cardinales Neapoli exiſtentes, cum dicto rege Carolo, cuius partes fouerunt, compatiẽtes captiuis Cardinalibus, & ſi aliquo modo eos de manibus Vrbani liberari poſſent ſollicite laborabant, ſed proficere nihil poterant. erat enim nimis induratum cor eius, ut cor Pharaonis, nec de facili eripitur præda de ore leonis At paſſim Curiales ab Vrbano recedentes Neapolim properabant. Sed uia undiq; prædonibus obſita erat ordinante quodam Achicillo Neapolitano, milite perfido, rapaci, Capitaneo tunc ciuitatis Stabienſis, quæ alio nomine caſtrum maris nuncupatur, ubi eſt portus maris, diſtans à Neapoli uiginti miliaria. qui quidem miles multa facinora iniuſte perpetrando & homines rebus ſuis ſpoliando, nec aliquot crimen omittendo ſub protectione dictæ dominæ Margaretæ, quæ ſibi fauit, omni timore dei & hominum uerecundia ſemota, publice ac priuate commiſit, quod ceſſit & in cumulum malorum ab Vrbano fugientium Curialium, qui cum crederent ſic fugiendo euaſiſſe Caribdim, peruenientes in poteſtatẽ dicti militis in Scillam miſere ceciderunt. Transfretantes autẽ de dicto caſtro per mare uerſus Neapolim & cum ueniunt ad radices montis Summæ nominati, feruente *Digreditur author.*

BIBLIOTECA ... ROMA

ſole per tria miliaria continue ſentiunt quendam liquorum craſſum, apud medicos uocatur Petrolium, & quòd in illa plaga colligitur dicitur eſſe optimum, ad omnem morbum curandum utile, ſed fetor ille transfretantibus inſuetis quodammodo nauſeam mouet, ut egomet ſæpe ſenſi. Multi arbitrantur quòd in illa plaga ſint in mari quidam ſulphurei & ardentes continuo montes, qui fumant ex ſe huiuſmodi craſſitiem ſeu liquorem, qui penetrãdo aquas à fundo maris uſq; ſurſum ſic unctuoſus efficitur in ſeipſo. A pleriſq; exiſtimant quòd olim duæ magnæ ciuitates (ſcilicet Herculea, & quædã alia, quas Seneca commemorat in ſuis naturalibus quæſtionibus) ſitæ ibi fuerunt, ſed terræ motu ſubmerſæ aquis uehementibus perierunt. Aliqui etiam fabulantur, quòd mons Ethna ardens adhuc continue prope dictum regnum Trinacriæ, in mari, olim erat in eodẽ loco montis Summæ, ad cuius radices dictus prorumpit liquor. Idem mõs aliàs Veſuuius dictus, de quo multa fabuloſa antiquis temporibus audiebantur, ſed tandem orationibus beati Priſci confeſſoris de ipſo loco mons remotus, & ad alium locum longe inde diſtantem, in quo nunc ardet, fuit ut aiunt miraculoſe translatus.

De ſæuitia, atq; crudelitate militis cuiuſdam Neapolitani in aulicos Pontificios. Caput XLVII.

Dicti itaq; Curiales recedentes paſſim ab Vrbano timore prædictorum prædonum ad caſtrum maris non tamen abſq; magno periculo confugerunt, & adeo infra dies paucos eorum ibi multiplicatus eſt numerus, quòd idem prauus miles timens forte dictam multitudinem, & ipſos ſub colore iuſticiæ rebus ſpoliare ſatagens, edictum fieri fecit, quod quilibet corundem Curialium aſſignaret arma ſua in Curia ſeculari dicti caſtri ſub pœna capitali eadem die, interim nihilominus illuc uenientes de caſtro Luceriæ terreſtri itinere fecerat ſpoliari rebus ſuis & male tractari, fingens ſe illud ignorare. Habitis armis Curialium, præconizari publice fecit, quòd omnes Curiales, qui erant in ciuitate in craſtinum ante horam nonam ſub pœna capitis abirent, cumq; Curiales receſſuri ipſa die ſtatuta nauigijs carerent, aliqui ditiores & nobiliores dicto milite doloſe ordinante naues precio inuenerunt, quibus cum Neapolim eodem die transfretarent. Sed dictus miles aſtutia, & malicia plenus ſubornauit quoſdã nautas in alijs nauibus, qui linguam Chatalanorum, quantum poterant imitati, licet eſſent Itali, fingẽtes ſe hoſtes dicti militis, eoſdem Curiales tunc transfretantes inuaſerunt, &

aliquos

aliquos eorum percuſſerũt, & demum omnibus rebus exuerũt. Hinc fugam ſimulabant è regione ad inſulam Caprearum oppoſitam Neapoli, quam hoſtes ipſius regis Caroli obtinebant, & in qua nonnulli pyratę Cathalani cum una galea & galeotta, necnon aliquibus alijs nauibus ad ſpoliandum illic mare tranſeuntes degebant conſcijs nautis, qui dictos Curiales duxerunt ad altum mare tam diu donec à ſpoliatoribus longe diſtantibus ulterius ipſos uidere non poterant. Et ipſe miles huiuſmodi prædas omnes in quibuſdam locis noctu per interpoſitas perſonas in eadem ciuitate ſollicite collegit, & ſic nudati rebus Curiales, qui erant in nauibus ad Neapolim peruenerunt, licet diu, atq; inſtanter in Curia dicti Caroli regis laborarent pro reſtitutione rerum huiuſmodi, tamen nihil effecerunt. Illi autem Curiales qui terreſtri itinere Neapolim profecti erant, paſſim per latrones ſeu malendrinos à dicto milite diuerſis locis in magna multitudine ſubordinatos bonis & rebus ſuis ſpoliati fuerunt, quod audiens dolebam, & cõpatiens ipſis Curialibus in tot perplexitatibus conſtitutis, iterum acceſſi Vrbanum eum blande taliter alloquendo.

Spoliantur atq; exuuntur Curiales.

Precatur Vrbanum author, ut ſui, ſuorumq; rationem habeat. Caput XLVIII.

BEnigne pater, cur non compatitur S.V. ſuis ſeruitoribus Curialibus, qui paſſim ab E.S. metu corporis & propter intolerabilem rerum penuriam recedentes, uelut oues ſine paſtore per deuia euagantes ad manus hoſtium deueniunt, per quos trucidantur & rebus ſuis ſpoliantur, ac ſuperſtites quo declinent prorſus ignorant, utinam E.S. hæc aduerteret, ac ipſis uehementer afflictis per aliquem modum conuenientem ſubito ſubueniret, adijciens prout uerum fuit, publicam famam eſſe, omnia hæc, eo quòd ipſe dominus Papa dictum Franciſcum nimis diligeret, & plus debito extollere uellet, quodq; melius eſſet nunc illud diſſimulare, dictoſq; Cardinales captiuos ſuæ libertati reſtituere, pacemq; cum rege Carolo inire, atq; ipſo regno decedere, ꝙ huiuſmodi Curiales taliter diſpergere, & ſi Franciſcus ille non ſatis poſſideret in terra, tunc poſſent ſibi in prouincijs patrimonij ſancti Petri in Tuſcia & Marchia Anchonitana plura caſtra committi, quouſq; idem Vrbanus in ſua libertate cõſtitutus dicto Franciſco uberius prouideret. Ad quæ mihi reſpondit, ſe propter dictum Franciſcum iſta diſcrimina non obijſſe nec ipſius intuitu erga regem Carolum ægro eſſe animo, ſed propter iniurias, quas rex & eius uxor ſibi crebrius intuliſſent, quodq; ſpera-

bat huiuſmodi incepti negocij per eum bonum cito conſequi finem, infraq́ xiij. diebus ſequentes proxime ciuitatem Neapolitanam ſui dominij futuram eſſe. De aduerſis autem, in quas Curiales inciderāt, ſe quidem dolere, ſed quia illa propter inſcitiam paterentur, forti animo eſſent toleranda. Neapolis tamen ipſa nunq̃ deuenit in eius dominium, ſed talia figmenta quidam dicti regis æmuli pro ueris & certis dicto Vrbano ſuggeſſerunt.

Fouetur ſpe uana Pontifex. [illegible] hians eluditur.

Author Neapolim rediens denuo incidit in latrones. Cap. XLIX.

VIdens autem ego tandem ipſum Vrbanum ad cōcordiam flecti non poſſe, oportunitate captata ab ipſo recedens ad Neapolim non abſq; corporis mei graui diſcrimine perueni, quia pluries una die incidi in latrones, quorum tandem diuina mihi ſuffragante clementia munitus, ſed ualde difficulter euaſi, tamen rebus meis per latrones ſpoliatus etiam duo mihi familiares iuuenes ad mortem penè uulnerati fuerunt, & tunc uſq; ad nonā diem menſis Auguſti eiuſdem anni in Neapoli remanſi, & niſi familiariter rex & aliqui de ſuis noti mihi fuiſſent, quòd dictos Cardinales ut præfertur examinaui, ſæuam mortem nullatenus euaſiſſem. Erat autē prædictus Carolus breuis ſtaturæ & ruffus, ac pulcher aſpectu, necnō loquela & inceſſu placidus, poëtis & hiſtorijs liberaliter inſtructus, de quibus libenter poſt epulas cum doctis uiris conferre ſolitus. XL. annum egit dum fuerat interfectus, tunc quidem eccleſiaſtici prælati & clerici ſuſpecti, quòd partem dicti Vrbani fouerent, Neapoli capti in Curia regis tormentis ſubdebantur, nōnulli ſubmergebātur in mari, & plures eorū diutiſſime in carceribus regis tenebant̃.

Caroli regis ſtatura ac mores.

Cardinales carceribus educti innocentiam ſuam teſtantes iterū reponuntur, deq́ immanitate Vrbani. Caput L.

INterim autem ad dictum caſtrū Luceriæ uenit ad dominum Vrbanum præfatus dominus Raymundus de Bautio circa carniſpriuium cum magna & forti armigerorum comitatu, coram quo Vrbanus in publico cōſiſtorio Cardinales de ipſa ciſterna ueteri, in qua diu recluſi fuerant, educi & corā ſe poni fecit, promittens eis ueniam, ſi reatum quem eis impoſuit, expreſſe confiterentur. attamen quemlibet ipſorum aſpere arguit, & quia aſſerebant ſe fore innocentes, ac eis impendi gratiam ardentius precabantur, Vrbanus autem nihilominus ipſos ad locum ſeu lacum

potius

potius priſtinum reponi iuſſit, in quo uſq; ad ipſius receſſum ab eodem caſtro, uidelicet ad octauam diem prædicti menſis Auguſti includebantur adeo miſere, ut frequenter audiui, fame, frigore, ſiti, ac uermibus plurimum cruciati, & nunq̃ commoti ſunt dicti Vrbani miſericordiæ uiſcera ſuper ipſos, erat enim cor eius erga ipſos lapidibus aut ſilice durius, quippe oblatas ſibi preces ꝓ eis per quoſcunq; penitus obaudiuit, & credo, citius mortem ſuſtinuiſſet q̃ eos libertati priſtinæ reddidiſſet. Sed aliqui dicebant, quòd ſi prædicti Cardinales confeſſi fuiſſent in publico ſic educti ut præfertur, eos degradare, ac eidem Raymundo ſuiſq; cõmilitonibus, qui partẽ Clementis fouebant necandos tradidiſſet.

Inhumanitas Vrbani

Cardinales quæſtionibus atq; tormentis iterũ ſubduntur. Cap. LI.

CVmq; examinationem ſecundam per quæſtiones ſæpe dictus Vrbanus de his Cardinalibus facere decreuiſſet, ſcilicet infra tres dies poſtq̃ eos in caſtro retinuit, me & alios nominatos ſuperius ad examinationem faciendam iterũ direxit ad quoddam magnum cellarium in eodem caſtro, & ecce adducitur præfatus dominus Cardinalis de Sangro per ſatellites, habẽs compedes ferreos, tunicam talarem ſine ſuperplicio, & breuem mantellum duplicem circundatum, quia frigidi uenti frequenter ſpirant in eodẽ caſtro, q̊d eſt in magno, ac ſpacioſo & alto monte collocatũ, qui cum perueniſſet quaſi ad finem dicti cellarij, ubi funes de alto pendentes ſibi præparatos aſpexit, & per ſatellites, mox exuebatur ueſtibus, ei femoralibus & camiſia uix relictis, & ſtrictiſſime per carnifices ligabatur, quod uidens ipſe Franciſcus haud remote ſtans immoderate ridebat, ego autem qui dictum Cardinalem dilexi incepi tremere, ac dolere, nec erat locus fugæ tunc mihi aptus, ſed quid moror, dictus Cardinalis, qui fuit uir ætatis maturæ, corpulentus & longæ ſtaturæ, ligatus ter de terra trahebatur in altum, & demũ cœpit uiribus quaſi deficere, quod cum uiderem eo ad terram demiſſo ſubſilentio dixi, Chariſſime pater, nũquid uidetis quòd quæritur anima ueſtra, propter deum liberate uos dicentes aliquid, ut iſtorum manus iſta uice euadere ualeatis, qui reſpondens ait, neſcio quid dicam. Et cum tortores iterum eum torquere uellent, dixi. Ceſſate, ſatis enim iam mihi dixit, ipſis autem, quæ dixit à me ſcire uolentibus reſpondi, quòd ea prius ſcribere & poſtea eis reſerare uellem. Et ſic eũ illa uice amplius non torquebant, ſed ipſum trahentes ad hoſtium dicti cellarij ut refrigerium aliquod reciperet, collocarunt, qui dum ad ſe conuerſus foret,

Cardinalis de Sangro primus educitur forma & habitu miſerãdus.

Loci facies

Exuitur ueſtibus.

Truculẽtia Franciſci nepotis.

Lachrimæ authori obortæ.

Pietas atq; commiſeratio authoris in Cardinalem.

Viciſsitudines rerum, Ludus fortunæ cõmutatio atq; lubricitas humanæ fortis.

nobis aſtantibus dixit, Videte fratres, aliàs fui glorioſus & magnus in hoc ſeculo ut uoſipſi uidiſtis, nunc autem ſum miſerrimus omniũ & deſpectus, & utinam mihi daretur hoc pro gratia ſingulari, quòd nihil habens per mundum tanquã pauper presbyter in uita mea mendicare ſicq; uitam defendere poſſem, ſed prochdolor tribulatió & anguſtia mihi dei iudicio reſeruatæ ſunt, pro eo quòd exercendo legationis officium in hoc regno pro domino noſtro Papa, non peperci Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & alijs eccleſiaſticis prælatis, atq; presbyteris & clericis, aut ſtatui uel ætati, credens me ſibi in hoc placere. Cui dictus Franciſcus dixit, quòd nõ deberet timere aut in aliquo de domino Papa dubitare, quia dominus Papa uellet ſecum humaniter agere, atq; alia multa blandiuſcula eructauit, per quæ tamen Cardinalis conſolari noluit, timens uehementer atrocitatem Papæ.

Verba Cardinalis uicem ſuã dolentis atq; in ſe reuertentis.

Vltio atq; uindicta crudelitati repenſa.

Agnoſcit peccatum Cardinalis.

De truculentiſſimi Baſilij moribus & tormentis Cardinalis Veneti. Caput LII.

ET cum hæc facta forent, tũc Vrbanus uocauit ad ſe præfatum Baſilium, qui per Papam executor fuit principalis ad torquendum prædictos Cardinales, quod mandatum illi erat ſatis gratum, fuit enim malignantis naturæ, ac odiuit naturaliter clericos, & eccleſiaſticas perſonas, fuitq; dei & ſeruitorũ eius præcipuus perſecutor, pyrata inſignis, à iuuentute Chriſtianorũ, quos captiuauit tortor immanis, ſolitus uiuere de male quæſitis & rapinis, ſed tandem in arte pyratica deficiens, & pauper effectus, ad Vrbanum acceſſit, qui eum fecit fratrem hoſpitalis ſancti Ioannis Hieroſolimitani, non propter deuotionem, ſed ut prioratum hoſpitalis in regno Trinacriæ conſequi poſſet, huic dictus Vrbanus iniunxit, ut die ſequenti poſt dicti Cardinalis de Sangro quæſtiones Cardinalẽ Venetum torquerent, quem Papa iſpe tamdiu torqueri iuſſit, donec ipſemet audiret eiulatum illius. Baſilius altera die me & alios ad examinationem deputatos ad ſe uocans, & dum ueniremus ad locum in quo Cardinalis Venetus tenebatur, eum inde eripiens Baſilius ad quandam aulam dictæ arcis perduxit, ueſtibus eum denudans funibus in altum ſuſpenſis ad terram uſq; pendẽtibus ſatis ſtricte ligauit, quem, licet eſſet fractus, morboſus, & ſenex ac ualde debilis complexionis, de mane tamen uſq; ad horam prandij in eculeo aſſidue, ac crudeliſſime tormentauit, ille autem quotiens trahebatur in altum repetijt illum uerſum, Chriſtus pro nobis paſſus eſt &c. Idemq; Vrbanus interim in orto inferius ambulabat alte legendo officium, ita quòd eũ

Attẽde Põtificis pietatem.

Attende tortorum immanitatem plus quàm ferinam.

legentem

legentem nos in aula audiebamus, uolens dictum Baſilium per hoc reddere ſollicitum, quòd mandatum de diligenter torquendo Cardinalem nõ negligeret. Ego autem ipſas crudelitates amplius æquanimiter uidere non ualens, finxi mihi caput dolere, ac petendo licentiã à dicto Conrado milite quòd ad hoſpitium meum redire pro modica horula cauſa recreationis poſſem, ei promiſi quòd ſi illam gratiam mihi faceret ad eum immediate redirem, & poſt multas preces obtinui ab ipſo licentiam dictum caſtrum exeundi.

Authoris clementia miſerũ aduerſantis ſpectaculũ.

De admonitione fugæ quibuſdam ſcriptoribus bullarum torquendis per authorem ſignificata, ac de Pontificis ſceleribus religioſa admodum dubitatio. Cap. LIII.

ET poſtq̃ reuertebar ad hoſpitium meum, ſtatim Vrbanus per eundem Baſilium ſuoſq; complices mihi mandari fecit, quòd cum ipſis irem inquirendo quoſdam ſcriptores literarum apoſtolicarum in Burgo tunc exiſtentes, ſibi ſuſpectos in hoc negocio. Et cum uiderẽ aliquos ſuſpectos ſignum eis dedi, quòd fugerent à facie arcus, quod ipſi intelligentes repente fugerunt, ſicq; auxiliante domino euaſerũt, quo facto iterum me finxi infirmũ per dies aliquot in meo hoſpicio latitando. Sed interim præ dicti alij Cardinales etiam torti fuerunt, quibus ſic procedẽtibus Vrbanus ad ducem Ianuenſem miſit, ſolicitando eum, quòd ſibi per mare cum decem galeis armatis certo termino occurreret in caſtro fluuiarij ultra Salernum, & impignorauit ei pro expenſis faciendis certa caſtra eccleſiæ Saonenſis, qui poſtq̃ peruenit ad Ianuam, ipſi duci efficaciter promiſſa aſſignauit. Et ſi fas eſſet de his, quæ per Papam fiunt hæſitare, mirarer quomodo talia licitę fieri poſſent, ſcilicet quòd Papa donata caſtra & alia bona p Imperatores & reges Romanos & alios chatolicos, eccleſijs auferre, atq; in prophanos uſus pro ſuo nutu conuertere poſſit. Multa etiam alia promiſit eidem duci per medias perſonas, per quæ tandem ipſum ad ęius propoſitum induxit, ita q̃ ipſas decem galeas idem dux armari in ſubſidium dicti Vrbani præcepit, ut inferius ſuo loco hiſtoria declarabit. Et potiſſima huius cauſa fuit, quia dux habebat quendam fratrẽ Carnalem religioſum, quem per eundem Vrbanum ad magnum ſtatum deſiderabat & uoluit promoueri. Interim uero Franciſcus Butillus credens ſe facturum magnalia, caſtrũ Sciſati (à caſtro Luceriæ diſtans tria miliaria Italica quod ex donatione regis Caroli habuit) credens illud contra poteſtatem dicti regis poſſe quomodolibet detinere, intrauit, ſed ipſe in eo ſubito

De ſcriptoribus apoſtolicis.

Cæteri Cardinales oẽs cruciatibus adfecti.

De his quæ à Papa perperam fiũt an ullo contradicere liceat pacto.

Franciſcus nepos deſciſcens à rege carceribus mancipatur.

per

per aliquot armatos regis circumuallatus ita quòd exinde fugere non potuit, poſtq́ crebris ictibus machinarum quaſi per unum menſem impugnabatur, ſe dedit eidem regi captiuum, ſicq́ rex ipſe dictum caſtrum rehabuit, necnō eundem Franciſcum captiuū ducens ad quod dam caſtrū prope Neapolim, in quodam cellario (in quo eum uidi) poſtea diu detinuit captiuatum.

De obſidione arcis Lucerianæ, & quæ circa eam geſta. Caput LIIII.

CVmq́ hæc facta fuiſſent, tunc quadrageſimali tempore appropinquante rex Carolus omnino diſpoſuit, dictum caſtrum Luceriæ manu potenti obſidere, ſeq́ illud credebat uiolenter in breui capere poſſe, unde collectio grandi exercitu, illum ad obſidionem dicti caſtri cum bombardis, & machinis, ac alijs inſtrumentis bellicis deſtinauit, cuius quidem exercitus ducem ſeu capitaneum conſtituit ſupra dictum Abbatem monaſterij Montiſcaſſini, tunc Cancellarius ſuus, qui odio habuit Vrbanum. Iſtis autem parum ſtrenue arcem impugnantibus, illi, qui intus erant cum Vrbano, quorum pauci idonei ad reſiſtendum hoſtibus fuerāt, ſecuri ſed in uictualibus non abundabant, & huiuſmodi impugnatio caſtri durauit uſq́ ad menſem Auguſti, quia tunc iterum dictus dominus Raymundus de Baucio cum Britonibus, qui erant de alia obedientia, ſcilicet Clementis, cum magna multitudine, necnon cū quodā magno capitaneo Theutonico, cognomine Lother de Sueuia ueniens, ipſum Vrbanū cum ſuis Curialibus & rebus precioſis inuitis hoſtibus, per altiſſima iuga montium circa Salernum, qui ſunt quodamodo immeabiles, perduxit ad uallem ab alio latere montiū præfatorum, plus fortuna, q̃ humana uirtute, quos hoſtes in graui multitudine ſequebātur continue, & in quos demum præfatus Alemanus Capitaneus cum ſuis dicto domino Raymundo iubente proſilijt, ac multos eorum ſtrauit, aliquos interfecit, atq́ finaliter omnes conuertit in fugam, ita quòd ſequenti die confuſi inſequentes ad Neapolim redierunt. Sed maxima damna tunc paſſus eſt Vrbanus in perditione precioſorum iocalium, ceciderunt enim plures beſtiæ onuſtæ, nec dabatur uictoribus ſpacium propter inſequentes hoſtes ut eas à terra erigerent, ſicq́ beſtias & eis impoſitas ſarcinas amiſerunt.

Germanus quidā dux militum in Italia belligerat.

Germanorū audacia ac uirtus.

Quo in ſtatu Curiales fuerint obſeſſo Vrbano. Caput LV.

Interim

INterim dum durauit huiuſmodi guerra inter regem Carolum & Papam, non dabatur licentia Curialibus ipſis, q̃ tunc erãt in Neapoli, ut inde per mare uel terram poſſent abire, & huius cauſa fuit, quia rex & qui cũ ipſo erant Cardinales præfati credebant quòd dictum caſtrum Luceriæ per gentes regis facile ui capere poſſent, ſicq́ ipſe Vrbanus & ſui complices, qui ſecum erant in caſtro ad manus regis infallibiliter deuenirent, quo peracto forſan ad electionem noui Pontificis ipſi Curiales eſſent proceſſuri. Sed ſi interim ipſi Curiales recederent, noui Pontificis Curia non ualeret. Sed Vrbanus hoc præſentiens cũ ſuis Curialibus & alijs qui ſecum erant ſtatim receſſerant. Rex & Cardinales, qui ſecum erãt ex hoc plurimum doluerunt, tenentes indubie, quòd ipſe Vrbanus contra eos poſtea prout fecit, omnia mala poſſetenus attemptaret. Tuncq́ dabatur primum aliquibus in ſpecie, ſed poſtea generalis licẽtia ipſis Curialibus ab illis regionibus abeundi. Ego autem decima die dicti menſis Auguſti expreſſa, & ſpeciali licentia regis recedẽs de Neapoli, cum paucis Curialibus dum ad portum Cornetanum trans fretãtes ueniremus, à longe cõſpeximus ipſas galeas Ianuenſes appropinquare, & uix peruenire poteramus ad terram, ipſi nos ad ipſum portum conueniunt. Sed de dicto caſtro Corneti ſtipẽdiarij equites multi nos etiam inuaſerunt, ſed ego cognitus per unum ipſorum interrogantem à me unde uenirem, reſponſo à me recepto, ex Neapoli ueniſſe, nos dimiſerunt. Ipſi autem Ianuenſes nauim, in quo eramus, ibi per triduum retinentes, ſed poſtq́ à me audiuerunt, quòd Vrbanus à caſtro receſſerat, multa infra triduum habuerunt conſilia, an retrocedere aut ulterius procedere uellent. Et tandem deliberarunt ex conſilio aliquorum de noſtris, quòd ulterius nauigarent prout fecerunt, propter quod poſtea uix à nautis noſtris, qui omnes erãt regnicolæ & ſubditi dicti regis, ſaluis pſonis & rebus recedere poteramus.

Crudele atq́ efferatiſſimum non Pontificis, ſed tyranni facinus. Caput LVI.

DVm Vrbanus iter ageret ad portum fluminarum ſemper ſecum captiuos abduxit præfatos Cardinales, & Epiſcopũ Aquilonenſem, & eos iuxta ſe equo uehi, & quemlibet eorum per ſatellites ne per uiam euadere poſſent diligenter fecerat cuſtodiri, ſed quia prædictus Epiſcopus habuit equum parũ utilem atq́ inualidum, quo uehebatur, ſimulq́ propter tormenta adhuc membris confractus extiterat, ſicq́ ita cito equitare non poterat

ſicut Pontifex affectabat, unde Papa credens ipſum Epiſcopū, ut euaderet, ſic in uia tardare furore ſuccenſus à carnificibus mactari mandauit, ipſi carnifices erant de obedientia dicti Clementis, eum trucidarunt multis ſibi uulneribus inflictis, ac corpus exangue inſepultum reliquerunt ibidem. Poſtq; autem dictæ galeæ Ianuenſes appropinquauerant prædicto loco fluminario, factum fuit gaudium magnum in ipſo exercitu Vrbani & inter ſuos Curiales, ſed capitanei, & armigeri qui Vrbanum adduxerunt, petierunt ab eo promiſſas ſibi pecunias, & quia carebat tunc pecunia, ad iocalia argentea, quæ adhuc ei remanſerunt manus appoſuit, quorum maiora in fruſta diuidi fecit, & cuilibet prout melius potuit pro rata ſoluendo in laminis, ſiue fruſtis argenteis omnibus ſatisfecit. Sed ſi Papa poteſt mandare, aut facere aliquem interfici abſq; irregularitatis nota non recolo me legiſſe.

O cœlum ò ſol auertite lucem atq; conſpectū à tam ſæuo, horrendo, atq; inaudito ſcelere.

Quod irregularitatē nominis ſuperſtitioſe, timet De homicidio parum ſollicitus.

Pontifex traijciens in Siciliam Panhormi deſcedit, ſecum Cardinales captiuos abducens, quorum unum omnibus rebus priuatum dimiſit, cæteros arctiſſimis atq; indignis carceribus detinuit. Cap. LVII.

Aduenientibus itaq; dictis galeis aſcendit in ipſas Vrbanus cum ſuis Curialibus, & ualedicto ſtipendiarijs, qui eum de dicto caſtro Luceriæ duxerunt, uerſus dictum regnum Trinacriæ, quod in ſua tunc erat obedientia transfretauit, & uſq; ad ciuitatem Panormitanam perueniens, ibi tam diu remanſit, donec ipſi Curiales uictualibus neceſſarijs ſe ſufficienter ꝓ itinere munierunt, de quibus prius non modicam penuriam per aliqua tempora habuerunt, & deinde per mare nauigando ulterius ad ciuitatem Ianuenſem peruenit, ſemper ſecum ducendo dictos Cardinales captiuatos, quorum tamen unum ſcilicet dominum Adam tituli ſanctæ Ceciliæ priuatum & ut pauperem monachum & ſoliuagum ad ſupplicationem Richardi regis Angliæ poſtea dimiſit, non tamē omnino liberum, ſed ſibi quendam clericum cameræ apoſtolicæ Gallicum, qui ipſius curam & cuſtodiam gereret deputando, hunc autem dominum Adam Bonifacius Papa nonus, de quo dicetur inferius, paulo poſtq; aſſumptus erat in Papam in ſtatum priſtinum duxerat reponendum, reliquos uero quinq; Cardinales ipſe Vrbanus in hoſpitio in quo tunc habitabant in Burgo Ianuenſi in domo fratrum hoſpitalis ſancti Ioannis Hieroſolymitani prope dictæ domus eccleſiam ꝗ diu ibi remanſit captiuos miſerrime detinebat, & ſi quem aliquando cōſpexiſſet horis inſolitis ad dictam eccleſiam accedere, putabat,

quòd

quòd ut dictos captiuos liberaret illuc perueniſſet, necnon ex tali ſuſpicione aliquos de ſuis Curialibus capi & incarcerari fecit, & torqueri, & quantumcunq; per ducem & ciues Ianuenſes rogaretur, ut ipſos captiuos dimitteret agendo miſericorditer cum eis, eos non aduertit. Cui etiam Ioannes dux Mediolanenſis multa precioſa uaſa argentea tūc donauit, & forte illa de cauſa, quòd ipſum abſolueret à reatu, quem commiſit in hoc, quia dum Vrbanus in Neapoli reſideret ipſe dux cœpit patruum ſuum, ſcilicet dominum Barnabouem, cuius etiam filiam eius conſobrinam ex diſpenſatione Vrbani dux ipſe habebat in uxorem, & quæ dicto duce uita functo uolens aſpere ſuis dominari, in caſtro prope Mediolanum fuit, ut dicitur iugulata, & eundem Barnabouem dux ipſe poſtea in carcere intoxicari fecit, ſicq; Barnabos olim potens diem miſere clauſit extremum.

Ioānes dux Mediolani munera Pōtifici offerens expiatur ab incæſtu atq; parricidio.

Barnabos capitur, atq; ueneno extinguitur à genero.

De rebus Hungariæ, ac Poloniæ, Item Angliæ atq; Hiſpaniæ, quæ tunc contigerunt. Cap. LVIII.

ET illo tēpore Vilhelmus filius Leopoldi ducis Auſtriæ, maritus Haduigis filiæ Ludouici regis Hungariæ, cui Ludouicus rex Hungariæ dedit in dotem Haduigæ regnum Poloniæ. Et cum Cacrouiæ reſideret, quidam nobiles Poloni eundem iuuenem inuita dicta regina eius uxore inde fugarunt, & dominum Ladislaum modernum regem Poloniæ tunc ducē Litphanorum, ac idolatram, ſeu paganum, ſub conditione quòd ſe faceret baptiſari eidē reginæ matrimonij copularunt, qui factus Chriſtianus cum regina diu in matrimonio ſtetit, ſed illa mortua dictus Vilhelmus dominam Ioannam ſororem regis Ladiſlai in uxorē duxit, quo mortuo ſine prole ab eadem domina Ioanna ſuſcepta, ipſa infra pauca tempora ad prædictum regnum Siciliæ rediens adhuc ibi in uiduitate manet. Illo etiam tempore genitor moderni domini Henrici regis Angliæ, q erat dux Leucaſtriæ, intrauit Hiſpaniam manu potenti, eam ſatagens ſuæ ſubdere poteſtati cum auxilio domini Ioannis moderni regis Portugaliæ, qui quidem ambo de ipſius Vrbani erant obedientia, & tandem duabus filiabus dicti ducis nupti traditis in partibus illis, una uidelicet dicto Portugaliæ & alia Hiſpaniæ regibus, ſuo propoſito aliàs infecto remanente ad propria remeauit. Ipſa etiam tempeſtate prædicta domina Eliſabeth regina Hungariæ, pulſo ui ab eodem regno Hungariæ Sigiſmundo rege, dictam dominam Mariam eius uxorem auferre, eorundemq; duci Aurelianenſi fratri moderni regis Francorum uxorem tradere ſatagebat, &

Affinitas regum.

Eliſabet reginæ iniquitas.

ſuper hoc ſatis notabiler nuncios CL. numero, quos uidi Papiæ tunc euntes ad Franciam, ipſa Eliſabeth regina deſtinauit, ſed nõ perfecit, quia ipſe dux Mediolanenſis ſecum inſtituiſſet filiam ſuam duci Aurelianenſi in uxorem tradere, & ſuper hoc iam contractus inter ipſos duces proceſſerunt.

De morte Caroli, rebusq́ inde ſecutis. Caput LIX.

Carolus rex Siciliæ necatur in Pannonia.

QVod ſciens rex Carolus ad regnũm Hungariæ cum magna militum comitiua de regno Siciliæ properauit, ſeq́ in regem Hungariæ contra pacta inter eum & dictum regem Ludouicum ſuper hoc inita ut prædixi, fecerat coronari, ſed infra paucos dies poſtea in regno Hungariæ interfectus miſere diem ſuum finiuit. Et hæc contigerunt eo tempore, quo ſupradictus dominus Barnabos per ducem Mediolanenſem generum & patruelem ſuum in carcere tenebatur incluſus, & quo Vrbanus Papa ab eodem caſtro Luceriæ aufugit, & nuncij de morte ipſius Caroli uenerunt ad noticiam ſupradictæ conſortis ſuæ dominæ Margaretæ, quæ tunc de alijs nuncijs, ſcilicet quòd maritus prædictus Carolus coronatus eſſet in regem Hungariæ celebre agẽs feſtum, ac coram ſe haſtiludia fieri fecit Neapoli in uico Regula uulgariter nuncupato, unde pompa ilico euanuit, & luctus extrema gaudij occupat. Succeſſiue inter illos nobiles, qui Eliſabeth reginæ Hungariæ, atq́ illos qui regis Caroli prædictorum partes fouebant, magnæ diſſentiones exortæ fuerunt, tandem Eliſabeth regina, & Maria eius filia, ac quidam potens comes de Hungaria cum eis per aduerſarios capti fuerunt, & ſtatim comite in præſentia eorundem matris, & filiæ interempto, matrem & filiam captiuas inde per multas dietas uſq́ ad Sclauoniã Hungariæ ad quoddam caſtrum fortiſſimum perduxerunt, in quo ipſas tam diu detinuerunt, donec ipſe Sigiſmundus rex cum ualido exercitu ad regnum Hungariæ reuerſus, dictum caſtrum potenter obſedit, & tandem ipſi obſeſſi eadem Eliſabeth regina per eos iugulata, & extra feneſtram dicti caſtri ſuſpenſa, prædictam dominam Mariam reginam ipſi domino Sigiſmundo regi reddiderunt, ſed in hoc eum omnino non placarunt, quia poſtea illorum nobilium qui illa commiſerunt, una die XXXII. qui ad eius manus peruenerant fecerat decollari, & etiam plures eorum complices partim capitis ſupplicio affecit, partim à ſui regni limitibus propulſauit.

Vices rerũ extrema gaudij luctus occupat.

Attende ſupplicium de regina ſumptum. Sigiſmundus regno ui potitur.

De liberatione ducis Ottonis, atq́ miſerorũ quinq́ Cardinaliũ captiuorum interitu. Cap. LX.

Eo tem-

EO tẽpore Vrbanus Neapoli reſidebat, dictus Otto dux carceribus per trienniũ à Carolo in arce munitiſſima uulgo Mineruini dicta, etiam per Fridericum II. Auguſtum regem Siciliæ condita ſeruabatur. Tamen fide præſtita de redeundo potuit aliquando extra dictum caſtrum recreandi animi gratia ſpaciari, ac uenari. Is, dum quodam tempore extra dictũ caſtrum Mineruini uenationi uacaret, per quoſdam Britones captus ad Auinionem ducebatur, ſed dum dictus Vrbanus adhuc Ianuæ moraretur, cum audiſſet dominũ Ottonem Gallia reuertenteq; ac die quodam Nouembris per mare traijcientem uerſus dictum regnum Trinacriæ (quod tunc & diu antea per quatuor potentes Barones de quatuor nobilium domibus regni Trinacriæ regebatur) urbem Genuam præteruectum ægre tulit, licet crederet dictum dominum Ottonem contra Neapolim non poſſe proficere, tamen diſponens iterũ uelle ad dictum regnum Siciliæ redire, ſibiq; eſſe nimis onerofum, q́ dictos quinq; captiuatos Cardinales ſecum duceret, unde quadã nocte infra paucos dies anteq́ de Genua recederet menſe Decembri (ut quidam retulerunt) ſecuri eos percuti ſeu mactari, aliqui autem dixerunt, quòd in mări eos præcipitari fecit, ſed qualitercũq; ſit, utiq; ipſi quinq; Cardinales poſtea non uidebantur, fama erat quòd in ſtabulo equorum dicti Vrbani in quadã foſſa repleta calce uiua corũ corpora proiecta, & in ea totaliter cõbuſta, & in cineres conuerſa fuerunt.

Duorum Cardinalium ab Vrbano ad Clementem defectio. Caput LXI.

AB eodem Vrbano tũc in Genua exiſtente domini Pileus Rauennas, & de Petra mala Cardinales, qui cũ eo ibi aliquandiu ſteterunt ad Auinionem fugientes, illic per Clementem in Cardinales admiſſi fuerũt. Sed mortuo dicto Vrbano & Bonifacio XIIII. ei ſurrogato, dictus Rauennàs Cardinalis tunc legationis fungens officio pro dicto Clemente in eadem prouincia patrimonij beati Petri in Tuſcia ad Bonifacium redijt, & in eo dem ſtatu Cardinalatus per ipſum Bonifacium admiſſus fuit, unde tunc uulgares eum Cardinalẽ de tribus capellis ironice nominabãt.

Otto Apuliæ primoribus confœderatus regnum in poteſtatem redigit. Caput LXII.

DEinde Vrbanus menſe Decembri nauali ſubſidio ab urbe Genuenſi uerſus Lucam transfretauit, ubi nouem men

 ſes con-

ſes continuo deſedit, interim dictus Otto dux ad ipſum regnū Trinacriæ peruenit, ubi magnifice per nobiles receptus eſt., atq; hinc Apuliam profectus cum primoribus potiſſime de ſancto Seuerino hoſtibus eiuſdem dominæ Margaretæ reginæ (tum Siciliam poſt mortem prædicti Caroli regentis) fœdus iniJt, qui potenter Neapolim intrantes eam ui ceperunt, multoq; tempore tenuerunt.

Quam ſortem Margareta uxor Caroli Apulia fugiens cum filijs habuerit. Caput LXIII.

IPſa uero domina Margareta cū eius filijs rege Ladislao & Ioanna duciſſa Auſtriæ ad ciuitatem Gaietanam fugit à facie inimici perſequentis, ubi tunc multis annis in magna ęrumnā & inedia mater & filij remanſerunt, interim unus de ipſis quatuor regentibus in regno Trinacriæ, nomine Artaldus multum glorioſus & magnificus ac diues amicitiam cum eodem rege Ladislao contrahens, ſibi eius filiā matrimonio copulauit, dando ſibi magnam auri ſummam in dotem, necnon VI. galeas armatas per ſex menſes pro eo tenendo in mari continue contra eius hoſtes tunc in ipſo regno Siciliæ præpotentes, ſed demum poſtq; dicta domina Maria regina & hæres dicti regni Trinacriæ, & uxor nuper defuncti domini Martini filij regis Aragonum, anno VI. pontificatus Bonifacij Papæ, cum eius marito dictum regnum Trinacriæ uiolenter recuperauerat, dicto domino Artaldo & duobus eius filijs p eundem dominum Martinum captis & decollatis, necnon bonis eorum confiſcatis, prædictus Ladislaus rex fecit inter ſe & dictam eius conſortem diuortium celebrari auctore dicto Bonifacio, aſſerens quòd ipſa ea digna non eſſet, ea renitente nec præualere ualente. ſed tandē dictus rex Ladislaus eam cuidam ſuo militi Neapolitano dedit uxorem, à quo ipſa multos filios poſtea edidit, dicens tamen dicto militi dum traducebat, cū eſſe felicem q̄ reginā in adulterā habiturus eſſet.

Diuortium inter Ladislaum & uxorem miſerandum.

Mulieris grauitas.

Interceditur apud Vrbanum pro uidua Caroli regis proq; ipſius corpore ſepeliendo. Cap. LXIIII.

ET licet tum Florentinorū tum multarum ciuitatū egregij oratores apud Vrbanum, quando reſidebat Genuæ, multis precibus laborarent, quòd cum Margareta, eiusq; natis miſericorditer ageret, fineretq; corpus dicti regis Caroli adhuc inſepultum tradi eccleſiaſticæ ſepulturæ, multa ſibi pro

mittentes

mittentes ſi faceret,ipſaq́ꝫ domina Margareta præter ſpem multorũ dictum Franciſcum Butillum de ſuis carceribus relaxando prædicto Vrbano ad Genuam honorifice deſtinaſſet, tamen per hæc omnia ipſius cor emoliri non poterat, quin potius proceſſus proceſſibus ac condemnationem condemnationi contra reginam eiusq́ꝫ natos cumularet, quia dicti regis Caroli mortui nomen nimis habebat exoſum, interim etiam dum in Luca ſtetimus, aduenerunt de Neapoli multæ nobiles dominæ tam ſeculares ꝗ̃ regulares, inter quas erant ſoror dicti Vrbani, item mater dicti Butilli uidua, & ſoror Cardinalis de Aliſia, necnon ſoror domini Petri Cardinalis Neapolitani, poſtea Bonifacij IX. decens & pulchra iuuencula, quæ poſtea facta eſt duciſſa Adriæ. Item mater eius uidua, quatuor ſorores Franciſci Cardinalis Monopolitãi, quarũ una erat monialis, & aliæ multæ dominæ generoſæ, necnon multi nobiles Neapolitani, & creato poſtea Papa Bonifacio præfato, unus Spoleti, & alter fratrũ ſuorum prædictorum Marchio prouinciæ Anchonitanæ.

Attende pi um paſtorẽ non Petro ſed petræ duriſſimæ ſimilem.

Spoleti

De ultione ab Ottonis militibus in ciues Neapolitanos, deq́ꝫ Ottonis ducis pietate. Caput LXV.

Vnq̃ac diu poſtea ipſa ciuitas Neapolitana, propter proditionem, qua eius ciues & incolæ contra dominum Ottonem ducem & eius uxorem Ioannam reginam egerunt, intromittẽdo dictum regem Carolum miſere fluctuabat, ſpoliabantur enim continue domus multorum ciuium, & exponebãt prædæ uictoribus, adulteria, ſtupra & alia multa fiebant mala in ciuitate, unde in maximo numero ciues utriuſq́ꝫ ſexus ea tempeſtate terra, ac mari ad Trinacriam, Capuam, Gaietam, & alias ciuitates, ac loca cõfugerũt, quod cũ dominus Otto dux audiret, miſericordia motus, ut pote pius & mãſuetus, nec uindictæ cupidus. ccccc. dominas, quæ tũc à Neapoli ad Auerſam ſimul cõfugerant, per ſuos familiares cum honeſta comitiua ad Neapolim reduci iuſſit, promittens eis, quòd ibidem manendo non inferretur damnum, uel iactura in perſonis aut rebus earundem. Quibus reuerſis die ſequenti edictum per totam ciuitatem publicari fecit, quòd ſub pœna capitis nullus militum, aut quiſq́ꝫ alius uiro uel fœminæ Neapolitano in perſonis, domibus, aut rebus aliquam offenſam uel iniuriam irrogaret. Cumq́ꝫ aliqui ex ciuibus ad dominum Ottonem ducem uenirent, petendo ueniam de commiſſis per eos contra ipſum & eius conſortem perpetratam, pepercit eis, & aliquando flendo cum ipſis flentibus dixit, cur tot & tanta mala

Fuga matronarum.

contra

contra nos perpetrare uoluiſtis, immemores q̄ benigne uxor mea uos habuit, & in quanto amore uos confouit. Attamen bona pars precioſi panni atq; tentoria, quæ Vrbano eandem ciuitatem ingreſſuro in uico Nidi prætenſa fuerunt, ut ſuperius dixi, & alia multa precioſa iocalia ad manus uictorum primis incaleſcentibus iniuriarum motibus peruenerunt, quæ uendita ad Cathaloniam & alia diuerſa loca maritima abducta nunq; reſtituta fuerunt, quorum malorum præcipua cauſa fuit Vrbanus propter iracundiam, quam conceperat & habebat contra Carolum regem, eiuſq; conſortem & natos ſæpe dictos, ex quibus elicitur illud uerificari, quòd nihil adeo forte, & firmum in hoc mundo ſubſiſtit, quod ruinam pati non poſſit. Quis enim uidit munitiorē, & pulchriorem ciuitatem ipſa Neapoli? attamen peccatis ciuium & incolarum exigentibus tam grauem periculoſamq; in ſuæ uiſitationis tempore paſſa fuit ultionem, & gratia dei factū eſt quòd non ut Sodoma perijt inæternum.

Principes Germaniæ multa offerentes Vrbano, ut unioni intendat, nihil efficiunt. Angelus præfectus urbis mactatur. Caput LXVI.

DVm eramus Lucæ quidam magni principes Alemani, & prælati apud eundem Vrbanum per quoſdam ſecretos nuncios eorum ſolicite laborabant, conantes eum inducere, ut unionē faceret in eccleſia cum dicto Clemente, oferentes ſibi multa ſumptus loca & alia ad illa perficienda quomodolibet oportuna, ſed proficere nihil poterant, dicebat enim quòd ipſe eſſet uerus Papa, nec expediret illud in dubium uertere, & ſimilia multa, & interim Angelus præfectus urbis per Romanos, & quaſdā gentes armigeras Vrbani proditorie in ciuitate Viterbienſi, in qua tūc morabatur, uiuus apprehēſus, & minutis petrijs in feſto ſancti Michaelis menſe Septēbri ſectus fuit, ita quòd de ipſis petrijs farcimina fieri potuiſſent.

Quid poſt necem de uxore & filiabus Angeli actum ſit, Et alia iucunda de Franciſco. Item de Cardinali Manupelli eiuſq; fratre. Caput LXVII.

VXor uero ipſius præfecti, & duæ filiæ admodum iuuenes & formoſæ tunc captæ per Romanos, & ad Romam perductæ in duobus monaſterijs monialium collocatæ fuerunt, quarum maiorem poſtea Marchio frater Bonifacij

Papæ

Papæ duxit in uxorem, quæ in ſecundo eius partu in urbe deceſſit, reliqua in monaſterio ſancti Laurentij in Paniſperne ſub caſtimonia perpetua remanente. De qua quidem uictoria Vrbanus non mediocriter exhilaratus diſpoſuit ulterius ire de Luca ad Peruſium ciuitatē credens illius temporale dominium quærere poſſe, quo ueniens circa feſtum ſancti Michaelis illud nunꝗ potuit obtinere, ubi penè per annum ſtetit. Accidit tamen ibidem dicto Franciſco ſeu Butillo magna contumelia, qui more ſuo quandam nobilem dominam Peruſinam adamauit, quod dictæ dominæ fratres non latuit. unde aliquādo noctis ſubſilentio penes domum dominæ habitu diſſimulato incederet, per dictos fratres in ipſum impetuoſe irruentes fuit fortiter flagellatus, quod cum reſciuerit Vrbanus de hoc uehementer dolens diſpoſuit, quod ab ciuitate Peruſinam quantocius recedere uellet, ſed anteꝗ receſſit, audiuit noua ſuſpecta de Card. de Manupello ſupradicto, quem in eadem prouincia patrimonij beati Petri in Tuſcia legatum fecerat, ipſum per quendam Beltot Anglicum magnum Capitaneum in Italia, & eidem Vrbano fideliter adhærentem uocauit ad ſe Cardinalem de Manupello, quem adductum per eundem Beltot ad Peruſium captiuū penes ſe multis diebus detinuit in palatio ſuo, cauſatus quòd aliqua caſtra Romanæ eccleſiæ in eadem prouincia cōſiſtentia alienare uoluiſſet, quem tamen poſtea Vrbanus multorum magnatum precibus uix à captiuitate relaxauit, & cum poſtea dictus Beltot capitaneus penes quoddam caſtellū La uilla nuncupatum cōſiſtens, in uia publica, qua itur de urbe ad Reate, diſtans uiginti miliaria ab urbe, faceret tranſitum, & illud ingrederetur ut cibum cū quibuſdam ſocijs ſumeret, ignorans quòd dictum caſtrum eſſet comitis Manupelli fratris dicti domini Cardinalis de Manupello, quidā ruſtici irruentes in ipſum ei manus & pedes amputarunt, truncum eius etiam pluries perforando. Quod tamen abſꝗ condigna ultione non remanſit, quia poſtea Paulus de Vrſinis capitaneus quarundam gentium armigerarum dictum caſtrum cepit, & omnino deſtruxit. Præfatus uero Comes, qui circa cc. caſtra tenuit in Aprucio, quæ pro maiori parte fuerunt eccleſiarum & monaſteriorum, poſt per dictū Ladislaum regem fugatus exul factus eſt, & uix habens unde miſerā uitam ualeret ſuſtentare. ipſe autem Cardinalis de Manupello ſuperueniente poſtea obitu eiuſdem Vrbani de illo plurimum lætabatur, & per paucos menſes poſt ſurrogationem Bonifacij ſuperuixit.

Iubileus decurtatur, Romaꝗ publicāt. Ac de Pontificis uigilantia in emulgendis per indulgentias oībus Chriſtianis, cuncta admiratiōe, imò ſtomacho digniſſima. Cap. LXVIII.

Ltimo autem anno Pontificatus dicti Vrbani, ipſe annũ Iubileũ abbreuiauit, ſcilicet ad ſingulos XXXIII. annos, & cõſtituit, quòd tũc anno domini M.CCC.LXXXVIII. in feſto natalis domini inciperet annus Iubileus in urbe, & duraret per annum incluſiue, prout factum fuit. ſed ipſe Vrbanus illum non uidit, quia prius ab hac luce migrauit, & innumerabiles peregrini toto illo anno poſtq̃ incepit Iubileus, p̃ſertim de Alemania, Hungaria, Polonia, Boëmia, Anglia, & alĳs regnis & prouincĳs, quæ fuerunt de obedientia Vrbani, ad urbem uenerunt, unde & maxima offertoria eccleſĳs & Baſilicis urbis per uiſitatores data fuerũt; ex quibus aliquæ reparationes ipſarum eccleſiarum factæ fuerũt, ſed reſiduum, & maior pars ad manus Bonifacĳ, & quorundam aliorum deuenit.

Ecce Iubileum & indulgentias.

Ipſe etiam Bonifacius huiuſmodi offertorĳs non contentus licet ad maximas ſummas aſcenderent, erat enim inſatiabilis uorago, & in auaricia nullus ei ſimilis, ad diuerſa regna miſit quæſtuarios uendendo dictam indulgentiam offerentibus tantum, quantũ eſſent expenſuri in uia ſi propterea iuiſſent ad urbem, & huiuſmodi exactores, ſeu quæſtuarĳ etiam maximas ſummas pecuniarũ à ſimplicibus ſeu barbaris ſubtiliter extorſerunt, ita quòd aliquando in uno regno ſeu in una prouincia huiuſmodi uenditionibus ultra centũ milia florenorum reportarunt, quia omnia peccata etiam ſine pœnitẽtia ipſis confitentibus relaxarunt, ſuper quibuslibet irregularitatibus diſpenſarunt interuentu pecuniæ, dicẽtes ſe omnem poteſtatẽ habere ſuper hoc, quam Chriſtus Petro ligandi, & ſoluendi contuliſſet in terris, & per hoc ipſi quæſtuarĳ impinguati, dilatati, ingraſſati, & cum multis pulchris equis & decenti familia redeuntes ad urbem, ipſam de recollectis per eos taliter rationem Pontifici fecerunt, ſed aliquos eorum quos comperit infideliter egiſſe carceribus intrudebat, nonnulli eorum mala morte perierunt, aliqui uero ſibi ipſis mortem conſciuerunt, quidam furore populi in petias ſecti fuerunt, alĳ erroribus hæreſis inuoluti miſere deceſſerunt, taliter ditati per fas, & nefas. Iuſtum enim erat, ut hi qui taliter Chriſtianum populum deceperunt, eorum auariciæ conſulentes male perderentur. Ipſe autem Vrbanus ex terra quam indicendo dictum Iubileum ſeminauerat, fructus recolligere non poterat, ſed alter collegit.

Quæſtuarĳ indulgẽtiarum proxenetæ atq; inſtitores.

Attende q̃ fœliciter cedit negociatio.

Vide quales indulgẽtias dederunt indulgentiæ ſuis authoribus Iuſtam tam præclaræ rei mercedẽ acceperunt.

Vrbanus in Siciliam profecturus è mulo decidit, ac tandem ſtipendĳs deficitur & moritur.

Caput LXIX.

Appropin

Ppropinquante autē autumno dictus Vrbanus exiſtēs in Peruſio conabatur redire ad regnum Siciliæ, unde collecto oportuno armigerorum exercitu à Peruſio circa medium menſis Auguſti receſſit, & iter ad ciuitatem Narnienſem egit, ſed poſtq̃ peruenerat ad ſpacium decem miliarium à Peruſio, mulus ſuper quam ſedebat ceſpitans ad terram cum Pontifice cecidit uehementer, quo caſu præcipiti Vrbanus in diuerſis partibus corporis læſus non potuit ulterius equitare, & ad eandem ciuitatem quam exiuerat, redire nolebat, ſed ſe uerſus Tiburtum ultra Romam in uehiculo portari fecerat, qui cum prope eſſet iuxta pontem ſuper flumen, quod labitur per Tiburtum directa uia qua de urbe itur ad Tiburtum, & illic pernoctare inſtituiſſet, multi Romani ad eum uenerunt, obnixe rogantes quòd ad ſedem ſuam rediret. Videntes autē qui ad eum uenerant, quòd in hoc non proficerent, ſibi ualedicto abierunt. Ipſe autem ulterius ſe per Campaniam in uehiculo uſq; ad Ferentinam ciuitatem uehi iuſſit, animo regnum Siciliæ denuo intrandi, ſed deficientibus tandem pecunijs ad ſoluendum armigeris promiſſa ſtipendia, & appropinquante tempore hiemali quaſi inglorius, & paucis ſibi obuiam euntibus de Roma ad illam ueluti peregrinus uolens nolens reuertebatur principio menſis Octobris, ubi per totū illum annū degens, & in eiuſdem anni reuolutione per. XXVIII. dies continue egrotando deceſſit. Erant, qui affirmabant ſumpto ueneno perijſſe. fuit enim in uigilia aſſumptionis beatæ Mariæ uirginis tunc præcedenti ac plures dies ſequentes facie ægra atq; languenti, quare de uita ipſius tunc uehementiſſime dubitabam, ſed illo ſero poſtq̃ ſe in lectum ægritudinis poſuiſſet accedenti ad ipſum mihi præfatus Butillus occurrit in apoſtolico palatio ueniens ab ipſo me amplexabatur & fleuit amare, nec potuit conſolari, & illa nocte de urbe recedens ad prouinciā marchiæ Anchonitanæ, in qua tunc habuit certa caſtra, uoluit accedere, ſed in uia prope Peruſium dolo quorundā interceptus dicta caſtra pro ipſius redemptiōe tradere coactus eſt in manus quorundam potentum, qui eius captiuitatem, ut dicebatur, ſubdole fieri curauerant. Vnde ſubito ſurrogato tūc Bonifacio in locum Vrbani defuncti, ut ſuperius dictū eſt, ad ipſam urbem pauper & deſpectus redijt, & neminem reperiens, qui more priſtino ei fauorē ſeu honorem impenderet, iuxta illud, Cum moritur præſul cognatio tota fit exul, incepit ualde dolere. Vnde poſtea infra paucos ſeptimanas ab eadem urbe recedens, & iter uerſus dictum regnum Siciliæ ſumens ad eundem dominum Raymundum de Baucio declinabat.

Vrbanus moritur.

Franciſce redde quod debes.

Sero ſapiunt Phryges.

Finis libri primi.

LIBER SECVNDVS.

DE PATRIA, STATVRA, MORIBVSQVE Clementis, De comitatu Gebennenſi in Gallia. Item de paupertate atq; indulgentia Clemētis anteq; electus eſſet, cum legatum Lombardiæ ageret. Caput I.

PRædictus autem Clemens fuit natione Gallus, de domo comitū Gebennēſium in regno Arelatenſi, quod eſt iuris & ꝓprietatis Romani imperij, fuit ante Cardinalatum Epiſcopus Cameracenſis, & per Gregoriū Papam in principio ſui Pontificatus in Cardinalem aſſumptus, idiomatis Alemanici non imperitus, uno pede parū claudicans, quem tamen corporis defectum pauci cognouerunt id ex induſtria celante, largæ conſcientiæ, mediocris ſtaturæ, ac ferè corpulentus, dapſilis, eloquens, nobiles & primarios aduenas ad eum undecunq; declinantes hoſpitio & menſa liberaliter habuit atq; excepit, qui licet multos haberet fratres & ſorores, ac etiam ex quibuſdam eorum nepotes, tamen eo defuncto comitatus Gebennenſis (exiſtens magnum & nobile feudum imperiale in Gallia) ad comitem Sabaudiæ peruenit, excluſis qualitercunq; cunctis ueris hæredibus, qui de iure ſuccedere debuerunt. Hunc Clementem cum ſumptus ei in Italia olim deficerent, nec poſſet ſtatum continuare decentem, tūc dominus Gregorius Papa fecit eum legatum ſedis apoſtolicæ in marchia Anchonitana & partibus Lombardiæ, forte magis ut ſic uictum ab incolis illarum regionum ſub legationis ſuæ titulo quæreret, q̄ ut quieti & ſaluti conſuleret eorundem. Vnde cum in ciuitate Ceſenatenſi in ipſa Marchia reſideret, quidam capitanei & eorū complices Britones & Gaſcones iniurioſi & rapaces apud ipſum Robertum in præfata ciuitate degentes pro dicto Gregorio militantes, ciues male tractabant, recipiendo mutuo ab eis uictualia & pabulum pro equis ſoluere creditoribus recuſabant, imò eos quandoq; uerbis & uerberibus afflixerunt.

Comitatus Gebennenſis feudum eſt imperiale.

Clemens quondam à Gregorio Papa, ob egeſtatem legationis donatur officio.

De miſeranda atq; atroci ciuium Ceſenatenſium nece à militibus Gregorij XI. ad ipſorum tutelam illuc miſſis illata. Caput II.

QVadam die ſuſcitato rumore inter forenſes & ciues, præfati Britones & Gaſcones fuere uictores, qui nō parcentes ſexui uel ætati, ſenes cum mediocribus, pueros & infantes crudeliter

crudeliter trucidarunt, & de cadaueribus mortuorum omnes penè di ctæ ciuitatis puteos repleuerunt, ita quòd infra paucas horas illa die octo milia utriuſq; ſexus hominum de ipſis ciuibus in prædicta ciuitate mortui ceciderunt, quo facto uictores ciuitatem bonis ſpoliãdo, eam hominibus & bonis uacuam reliquerunt, quæ quidẽ ciuitas poſtea ad manus Caroli de Malateſtis deuenit.

De auaricia Clementis uendentis Vercellas ciuitatem eccleſiæ eodem legationis tempore, ac de truculentia Galeatij & Barnabouis. Caput III.

NEc his cõtentus dictus legatus, ſed ſuæ auariciæ cõſulens, in maximum detrimentum plurimorum ciuitatem Vercellenſem, quam prius per aliqua tempora Otto & eius frater Balthaſar duces Brunſuicenſes militantes tum illic cũ auxilijs ſtipendiariorũ Romanæ eccleſiæ, non abſq; magnis & multis ſuorum periculis à Galeatio & Barnaboue (tunc ipſis Mediolano dominantibus) ui eripuerunt, XL. caſtra, quæ ſimiliter cum ciuitate Vercellarum ui belli ceperunt, quæ poſtea Gregorio Papa liberaliter dimiſerunt, dictis Barnaboui & Galeatio fratribus uendidit pro magna ſumma pecuniæ, ſub colore quòd illa ſumma pecuniæ pro neceſſitatibus Romanæ eccleſiæ deberet expendi. Sed cũ ſentirent ciues Vercellenſes, & habitatores caſtrorum iterum ſe ad dominium eorundem tyrannorum redire debere, uehementiſſime doluerunt, & multi eorum præ timore ad alia loca fugierunt. Sed poſtq; dicti fratres tyranni poſſeſſionem ciuitatis & caſtrorum taliter eis uenditorũ recuperarunt, ultra modum multos nobiles uiros, & alios incolas ceperunt, ipſis traditionis crimen imponentes, eos crudeliſſima morte ſcilicet quoſdam ignis incendio, alios ſuſpendio, & reliquos gladio uel alia morte perdiderunt, & totam pecuniam quam pro emptione ciuitatis & caſtrorum præfato Roberto legato dederunt; de habitatoribus & incolis ciuitatis & caſtrorũ infra pauca tẽpora extorſerũt.

Vide Galeatij & Barnabouis inmanitatem.

De Clementis in nobiles profuſa nimis rerum eccleſiaſticarum largitione. Caput IIII.

HIc Robertus ſiue Clemens multum fauens magnatibus ſiue nobilibus, unde petentibus ipſis terras, caſtra & dominia eccleſiaſticarum cathedralium & monaſteriorum pro modico annuo cenſu ipſis ſoluendo in feudum ſine diffi-

cultate conceſſit, Et ea eccleſijs & monaſterijs auferens eidem etiã penſionis uel alterius ſeruitutis onere nunc retento abſolute donauit pro ſe & hæredibus ac ſucceſſoribus eorundem. Vnde ſicut olim boni ac ſimplices imperatores ac reges Romani atq; alij catholici principes leuiter & ſimpliciter eccleſijs & monaſterijs prædictis temporalia bona donarunt, ſic & iſte Pontifex illa tanq; eis incõgrua adimendo laicis reſtituit poſſidẽda, Quia corrigias corio lõgas damus ex alieno. Dictus Clemens poſtq; ſuum Papatum ut ita loquar per. XIII. annos uel circa gubernaſſet in Auinione deceſſit. Multa etiã miranda ſtupendaq; & nota digna occaſione dicti ſchiſmatis potiſſime in Italia iſtis duobus, ſcilicet Vrbano, & Clemente de Papatu ſimul contendẽtibus acciderunt, quæ ne nimia prolixitas hiſtoriæ legentibus rediũ generaret hic annotare calamo prætermiſi.

Nota Pontificis æquitatem.

Clemens antipapa morit' Auenione.

Venceslai Romani, atq; Hungariæ regis ignauia. Cap. v.

INterim Venceslaus rex Boëmiæ plures oratores diuerſis temporibus miſit ad dominum Vrbanum ſignificãdo qualiter pararet aduentum in Italiam diadematis imperialis per manus eius recipiendi gratia, ſed quia ad hoc perficiendum multis ſumptibus indigeret, petebat ſibi concedi, quòd decimam à clero regni ſui exigere poſſet in ſubſidium huiuſmodi expẽſarum, quod cum ei conceſſum foret, decimas extorſit, easq; conſumpſit, attamen ſe de regno ſuo propterea non remouit, ſic Papam & etiam Curiales ac Romanos ludificando, credebant enim dicti Romani quòd rex ipſe utiq; ueniret, ſicq; granum, & uinum atq; alia uictualia eo illuc ueniente carius uendere poſſent, illa interim per plures menſes ſub ſpe uana penes ſe tenaciſſime conſeruarunt, in proprium eorum & Curialium detrimentum, quia ſæpius in magna parte deſtructa & corrupta cum diutius illa conſeruando conſeruari non poſſent irrecuperabiliter perierũt, & ſic auari ciues Romani per mendacẽ regẽ & oratores huiuſmodi decepti, in q̊ peccarũt, iuſte puniti fuerũt.

Venceslaus rex decimã à clericis exigens ignauiter domi reſidẽs Romanos ludifiat.

Petrus de Thomacellis poſt mortẽ Vrbani electus, Bonifacius IX. appellatur, Item de forma & moribus eiuſdẽ, Cap. VI.

DEfuncto igitur Vrbano ut præfertur, in urbe in palatio apoſtolico prope Baſilicam principis apoſtolorum, ac eius corpore tradito ſepulturæ, Cardinales de ipſius obedientia, tam illi qui in Roma præſentes, q; alij qui tunc in propinquis

pinquis prouincijs erant pro celebranda electione futuri Pontificis in urbe conuenientes, Petrum de Thomacellis in Papam elegerunt, quo electo infra horam prandij publicabatur eius electio, & ſtatim concurrentibus illicad palatiū multis Romanis ac Curialibus ipſum ad maius altare in Baſilica principis apoſtolorum more ſolito trahebant, quo facto cum ad palatium rediret obuiantibus & congratulantibus ſibi, omnibus una ſententia reſpondens, dicens gaudium meū gaudium ueſtrum eſt. Deinde in feſto ſancti Martini ſuæ coronationis recepit inſignia, & dum ad eccleſiam ſancti Ioannis Lateranenſis progrederetur per urbem iter agendo non multum honorifice comitatus propter uehementes imbres per plures horas eius diei decidētes, Bonifacius parū curare præ magno gaudio uidebatur. Hic erat magnæ ſeu proceræ ſtaturæ, ac decorus facie, necnon presbyter natione Neapolitanus, ſcribendi, atq; canēdi imperitus. Cum eligebatur in XLV. ætatis ſuæ anno aut circiter conſtituto, ignorans grauitatem Pontificalis officij, & adeo ſupplicationes ſibi porrectas indiſcrete ſignauit, ac ſi nunq̄ fuiſſet in Romana Curia conſtitutus, nec quæ petebantur in ipſis intellexit, & propoſitiones factas coram eo per aduocatos in eius conſiſtorio toto tempore ſui Pontificatus non intelligēs ad petita nimis confuſe reſpondit, nemo enim proſperatur in illo, q̄ ignorat, unde inſcitia ferè uenalis facta fuit in ipſa Curia tēpore ſuo, fuit tamen ſatis edoctus grammaticæ ac diſertus, ſed non habuit in aliqua ſcientia præeminentiam ſiue gradum.

Mores atq; forma Bonifacij.

Facilitas atq; imperitia Bonifacij.

De Pontificis ſymonia deteſtāda. Itē de annatis & primitijs. Ca. VII.

IPſe uero repperit plures bonos & legales Cardinales de ſuo collegio, qui ſymoniæ uicium deteſtabātur omnino, quorum præ timore quoad uiuebant quaſi per ſeptem annos non audebat ſymoniam publice exercere, attamen per aliquos mediatores ſecrete & ſubtiliter potiſſime in prælatorum promotionibus exercebat, intercedentibus pactis clandeſtinis de promotionibus per ipſum faciendis, dum tamen huiuſmodi promouendi ſibi aliquos florenos ſimulantes clanculo exhiberent, & ſi illi, à quibus poſtulabat pecunias, ei non dederunt in prompto, diuerſas confinxit, & allegat in ſecreto cōſiſtorio corā Cardinalibus cauſas, quarū prætextu promouendorum plus debito negocia protelabat, ſeu totaliter impediebat. Sic etiā Cardinalibus ſuis ſæpius illudendo. Cardinalibus autem pro maiori parte ſucceſſiue defunctis, quos ipſe ſymoniam odio habere cognouit, exhilaratus eſt nimium, quia tūc liberas habebat

Iſtuc eſt ſapere de deo, etiam ſi occulta uideat parū errat Pontifex.

Moriuntur probi.

Annatæ ac primitiæ fructuum eccleſiaſticorum.

habebat habenas ſymoniam pro libito etiam publice exercendi, ſed demum circa decimum annum ſui regiminis ut cautius ageret in hac parte, palliaretq́ ſymoniam quam exercuit, quodam neceſſitatis colore primos fructus unius anni omnium eccleſiarum cathedralium & Abbatiarum uacantium ſuæ cameræ reſeruauit, ita quòd quicunq́ ex tunc in Archiepiſcopum uel Epiſcopum aut Abbatem per eũ promoueri uoluit, ante omnia cogebatur ſoluere primos fructus eccleſiæ uel monaſterij, cui præfici uoluit, etiam ſi nunq́ poſſeſſionem eiuſdẽ conſequi poſſet, de quo ipſe Bonifacius penitus non curabat, imò ſæpe dicebat, utinam non adipiſcatur poſſeſſionem eccleſiæ uel monaſterij huiuſmodi, ut iterum de alio rurſus pecunias extorqueret. Dicti autem primi fructus per ipſum æſtimati fuerunt ad triplum illius quod in literis cameræ apoſtolicæ pro communi ſeruitio ſoluendo taxata fuerũt. Et quia non omnes promouendi uenictes ad Curiam ſufficientibus pecunijs cum ſacco parati erant, uſura in Curia tempore regiminis dicti Bonifacij tantum inualuit, quòd fœnus amplius non reputabatur peccatum, imò ipſæ uſuræ exigebantur quandoq́ publice coram iudicibus & officialibus dicti Bonifacij. Et tunc illud pſalmi, Et non defecit uſura & dolus in plateis eorum, uerificabatur. Sicq́ exigebatur pecunia ſymoniace pro aliqua gratia à Pontifice obtenta ex ſtipulatu promiſſa, & ut nihil de contingentibus ipſe Pontifex omitteret, multas uniones eccleſiarum parochialium & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum ſymonia intercedente fecit.

Vſurarij in urbe frequentes.

Vide pietatem iudiciũ Curialium atq́ officiorum.

Attende religionem Pontificis.

De temporis gratiarum (quod hic Datas uocat) prioritate paſſim uendita, atq́ de dolo falſo circa eam rem publice adhibito. Caput VIII.

HIc Bonifacius ſuiq́ ſecretarij & cubicularij in principio ſui Põtificatus unius anni ſpacio uel plus, primã quæ erat quĩto idus Nouembris plus offerentibus uendiderunt tam inuerecunde ac frequenter, quod paſſim deuenit in deriſionem etiam populorum illa uenditio, & ibidem Bonifacius ſub pacto quæcunq́ beneficia eccleſiaſtica ubicunq́ locorum uacantium, ſiue reſeruata eſſent ſiue non diſpoſitioni apoſtolicæ, ſub dato obitus eorum qui ea uiui poſſidebant uendidit, & hæc mercimonia publica multis annis durauerunt in Curia Bonifacij. Inueniſſes etiã tunc pleroſq́ curſores per Lombardiam & alias partes Italiæ diſcurrere, per ſcrutantes num infirmarentur aliqui pinguia eccleſiaſtica beneficia obtinentes, & ſi aliquos inuenerunt ægrotantes, tunc currebant ad Romã-

Licitatio beneficiorũ, plus offerẽti addicitur merx.

Attẽde falſum circa literarum inſcriptionẽ cõmiſſum ac non ueritati imò iuſticiæ factã.

ad Romanam Curiam, & mortem talium intimabant illis, qui ſuper hoc ipſos precio conduxerunt. Sed Pontifex ipſe utpote improbus mercator, quandoq; etiam ſub eodem dato unum & idem ſacerdotiũ pluribus uendens, ueluti nouum proclamabat, pro ſecundo, tertio, uel quarto, concurrentibus ſimul in dato ſuper uno & eodem beneficio ſic uacante, quod illi duntaxat prouidere uoluit, propterea uolentibus excludere alios ab ipſo Bonifacio habentes gratias expectatiuas, nouas gratias poſteriores in Dato uendidit cum clauſula, Anteferri, per multos annos & tamdiu, donec nulli uel pauci illarum gratiarum deinceps inuenirentur emptores, quod uidẽtes ipſi proſonetæ, ad inauditã prius practicã lucri captãdi cauſa ſe ĩprobe conuerterũt.

Nundinationes impudentiſſimæ.

Clauſula ante ferri

Tollat, quĩ te nõ nouit. Inautus at q; parũ prouidus mercator quód palam has licitationes exercens, admonuit, ne quis denuo ad eundem lapidẽ impingeret nemo enim diu latere poteſt.

Quo pacto aliæ atq; aliæ inſuper artes à ſacerdotiorum nuncupatoribus, ut emptores priores eluderent atq; nouos ſubinde allicerẽt, commentæ ſunt ac confictæ. De regulis cancellariæ. Item alia pleraq; eiuſdem farinæ ad hanc officinam uti mire conducentia, ita cognitione digniſſima. Caput IX.

Inxerunt enim alias nouas gratias expectatiuas, quæ oẽs gratias illas in Dato præcedenti, quæ uocabantur cum clauſula Anteferri proſternebant, ſed illæ fuerunt nimis charæ, quia illæ cum ſimplici clauſula Anteferri ꝑ XXV. florenis uel circa, ſed aliæ gratiæ cum antelationis prærogatiua pro L. ducatis communiter uendebantur. Simul quòd ultimæ gratiæ per multos aſſidue ambitioſos emerẽtur. Præfati mercatores ſeu inſtitores ut plus lucrarentur, nouas cautelas inuenerunt. Fecit enim dictus Pontifex perq; multas regulas cancellariæ & alias ordinationes, per quas uidebatur ſe huiuſmodi gratiarum expectatiuarum à ſe tum paſſim uenditorum effrenatam multitudinem reſtringere uelle. quod cum multi dictarum gratiarum ſentirent emptores, nouo pacto intercedente pecuniario quæſtu impetrarunt ab ipſo, quod ſub illis declarationibus non cõprehenderentur gratiæ ipſis factæ beneficia etiam diſpoſitioni dicti Pontificis generaliter reſeruata, & illa potiſſime quæ uacabant in Curia præfata plus offerenti uendebant ſub colore, quòd emptores illorum etiam primos fructus eorundem beneficiorum in prompta pecunia ad utilitatẽ cameræ apoſtolicæ ante omnia ſoluerent, quo facto tunc primum ſignabantur ſupplicationes pro ipſis emptoribus in quibus dicta beneficia petebantur, & etiã poſtq; ſignatæ fuerũt ſi alter ueniſſet forte, qui plus obtuliſſet, iam ſignatæ

Vide quàm callet author technas Romanenſes eo tẽpore quo paucis notæ erant, quas hodie & nemo non uidet & boni omnes deteſtantur.

Reſeruatio beneficiorũ ac primorũ fructuum.

ſupplicationes huiuſmodi ſæpe de regiſtris ſupplicationū dicti Bonifacij cancellabantur, & ſuperueniens præferebatur præcedenti in Dato, dicebat enim ipſe Bonifacius, quòd illi qui minus obtulerunt, eum decipere uoluiſſent. Vidi etiam tempore peſtilentiæ, quæ in urbe graſſabatur decimo anno Pontificatus dicti Bonifacij, quòd unū beneficium aliquando in eadē ſeptimana ſucceſſiue pluribus uendebatur, nullo tamen illorum dicti beneficij habita poſſeſſione adepto, quia nunc emptore uno decedente ſucceſſit ſecundus, & eo etiam moriente tertius aderat, illud pro ſe uolens habere, ſed nemini niſi ex pacto dabatur pecunia intercedente, quia nemo facile oleum elicere poteſt de ſaxo duriſſimo. Hæc eo tēpore omni timore dei & uerecūdia hominum poſtpoſita in tam frequenti erant uſu, quòd Curiales pro maiori parte affirmabant talia licite fieri, cum Papa in talibus ut dicebant peccare non poſſet, ſed quia emptores aliqui beneficiorum ſæpe non habebant pecunias promptas, tunc aut pignoraticiam aut fideiuſſoriam cautelam mediatoribus huiuſmodi præſtiterunt, & eadem pignora ſi ſtipulata pecunia in ſtatuto termino non ſoluebatur, uendebātur, & ceſſantes in ſolutione principales uel fideiuſſores qui ſolam præſtiterunt fideiuſſoriam cautionem, ſtatim in carcere detrudebanī.

Obelo ſodiuntur ac eraduntur ſupplicationes etiam ſubſcriptæ ac ſignatæ modo eſſet qui plus offerret.

Vide quàm ſcanda meſſis Pontifici aſſerit emptorum clade.

Meratrio propino atq; internuntio Plutone præſide, cūcta tranſigente ac cōprobante Tyſiphone.

De diſpenſationibus alijsq; malis Curialiū artibus, ac de eorum officijs qui Curiæ præſidebant. Caput x.

PRæterea diſpenſationes quæ petebantur ab ipſo antiſtite pro quibuſcunq;, dummodo correſponderet pecunia, quam eius rei cauſa petebat indifferenter docto & illi charius, & indocto & huic remiſſius pacto etiam intercedente uendere non negauit, omnia etiam beneficia in eccleſijs urbis uacātia uendidit, & ſi non potuit habere pecunias, res aliàs in commutationem recepit, ut porcos, ſues, equos, granum, & frumentum, uaccas, oues & boues nil penitus refutando, & tunc nil erat generale in ipſa Curia ſicuti ſuper talibus abuſiuis gratijs fabricare minutas, omnes quippe Curiales magni mediocres & parui uidebantur eſſe in talibus tunc experti. Sed qui plures pernicioſas cautelas ſeu ſubtiliates inuenit, hic præ cæteris laudabatur, & ſecundum illos exorbitātes literas auditores, & alij iudices cauſarum in ipſa Curia iudicabant, eorum nullas quantumcunq; etiam anormales refutando, quia & ipſimet talibus literis & gratijs ſe iuuabant, ambiendo etiam eccleſiaſtica beneficia per eaſdem. Vidiſſes tunc pleroſq; ex auditoribus ipſis, quorū quilibet prætextu talis expectatiuæ gratiæ ad certū ualorem annuū

O iniuriam atq; iniquitatem plus quàm tyrānicam.

Roma barathrū ac profundū pelagus in quod quicquid immergas abſorbetur.

ad unum

ad unum, duo,tria uel plura beneficia ſibi factæ, ultra uiginti beneficia acceptabant, & de illis etiam ſibi prouideri fecerant, & ſic alij expectantes & habentes conſimiles gratias qualitercunq; excludebant per eoſdem auditores propter prærogantiam, quia capellani erãt & commenſales dicti Bonifacij ut dicebant, & tunc fiebant etiam in audientia cauſarum crebræ allegationes per aduocatos partium propter huiuſmodi literarum exorbitantias manifeſtas, unde augebant expenſæ litigantibus, & cauſæ protelabãtur nimium, & notarij cauſarum exactionabant plus ſolito litigantes, & multæ nouitates malæ paſſim introductæ fuerunt in Curia memorata, quas nemo correxit, quia pecunia omnia ſuperabat, & per multos annos ſuper iſtis mirabilibus & abuſiuis gratijs literæ dicti domini Bonifacij per ſuos ſecretarios expediebantur per cameram ad nutum illorum, qui eas habere uolebant, quibus ipſi ſecretarij conſueuerunt dicere, anteq; dictas literas expedirent, ſi minutæ ſuper quibus dictæ literæ confici debebant ad eorum uoluntatem factæ forent, quibus reſpondentibus ꝙ ſic, tũc ſoluta ſtipulata pecunia pro dictis gratijs, per eoſdem ſecretarios expediebantur literæ ſuper illis, tamen raro iuxta ſtilum Curiæ aut ius commune. Hic etiam Argus antiſtes, libros, ueſtes, utenſilia & pecunias ſuorum Curialium & prælatorum adhuc quandoq; ipſis agonizantibus per quoſdam officiales ſuo Curiæ ad hoc deputatos, ꝑ ſe recolligi fecit ad inſtar corui in prædam hiantis.

Clauſum poſsidet arca Iouem.

Papæ ſeruitia haud multum æquiora domino.

De ſordidiſs. quæſtu in ſignandis ſupplicationibus à Bonifacio adhibito. Caput XI.

SEd cum poſtea cõtra ipſos uendentes & ementes huiuſmodi gratias longe lateq; maxima infamia laboraret dictus Bonifacius, poſtremo ad profundum iniquitatis deſcendens, nullam penitus ſupplicationem etiam pro quocũq; & quantumcũq; paupere uel alio ſignare uoluit, niſi pro ſingulis ſupplicationibus quas ſignauit ante ſignaturam ſingulos florenos auri à ſuis mediatoribus deputatis, per eum in talibus recepiſſet, excluſis tantum perſonis ſuorum Cardinalium, quibus tamen gratias gratis uix ſignabat. Sentiens autem poſtea dictus Bonifacius, quòd dicta contra eum infamia laboraret, ad alias cautelas ſub boni ſpecie ſe conuertit, unde, XI. kalen. Ianuarij, Pontificatus ſui anno. XIIII. reuocauit omnes expectatiuas, & etiã alias diuerſas gratiarum ſpecies per eum factarum, quaſi erraſſet in omnibus illis, & nihilominus nouas fecit gratias expectatiuas ad certos annos per eum limitatos, infra q̃s

deceſſit, & illarum etiam Dato ſecundum quòd erant meliores, uſq; ad eius obitum uolentibus emere uendidit, & interim etiam ſingulos florenos pro ſingularum ſupplicationum ſignatura per ipſum facta extorſit, aſſerendo quòd per illam pecuniam ſic extortam multum in ipſius ſtatu iuuaretur. Vidi etiam tunc unius auditorum cauſarũ dicti Bonifacij hominis inutilis & ſolo nomine decretorum Doctoris literas ſuper expectatiua gratia in diuerſis prouincijs Germaniæ fabricatas, in quibus diſpenſabatur inter alia ſecum, quòd vi. incompatibilia beneficia recipere & ſimul retinere, illaq; totiens quotiens ſibi placeret ſimpliciter uel ex cauſa pronunciationis dimittere, & loco dimiſſorum totidem ſimilia & diſſimilia beneficia recipere & retinere poſſet, etiam ſi eſſent dignitates maiores poſt Pontificales, ac electiue & curate, necnon etiam ſuæ præſentiariæ ac apoſtolicarum literarum ſcriptoriæ officia pacto pecuniario intercedente uendidit, tamen ementibus iuramentum ſolitum (in quo inter alia cauetur, quod pro illo habendo nihil dederunt, nec per alium eis ſcientibus quicq; datum fuit aut promiſſum) nõ remiſit, unde multi periuria commiſerũt. Nec credo, quòd unq; adeo inuerecundus & ingenioſus quæſtor pecuniarum repertus fuerit, prout erat pontifex Bonifacius, ita quòd proprie ei congruit illud uaticinium Cyrilli Epiſcopi, in quo comparat iſtos rapaces & ſymoniacos ſummos Pontifices cymbalo, quod fit ex pelle ab hirco uel oue detracta, & quibuſdã fidibus æneis, quibus tremẽtibus pelle tenſa digitis aut ligno tactis aures demulcet. Sic ille paſtor eccleſiæ quenq; minorem eccleſiarum uel pauperẽ clericum excommunicans, ac deinde extendet & differat negocia Curialia terminare, donec tactis nummis intra loculos conquaſſatis aures demulceat ad preces. Qui etiam ſolitus erat quaſi omni die mane circa horam primarum comedere, & poſt comeſtionem lecto ſe reponere, ac uſq; ad horam ueſperarum dormitare, atq; de nocte ſimiliter tempeſtiue ſurgere, & tunc ſuum officium recitare. Dum autem corã eo miſſa celebraretur prælatis illic concurrentibus in publico ut eſt moris, omni pudore ſepoſito tunc illum, nunc alium de Secretarijs ſuis infra miſſarum ſolennia uenire coram ſe fecit, ſemper intentus ſi quas ſibi pecunias apportarent. Et nunq; in tantum iracundia ſeu moleſtia uexabatur, quin ſi uideret ſibi pecunias afferri lætaretur, ſolum præſentes & recentes curans pecunias. Solebat enim quandoq; dicere, quòd mallet paruum piſcem in manibus habere, q; in dubio in mari delphinum, & in hac opinione deceſſit. Nam cuidam interroganti ab eo in ultimo conſtituto, qualiter ſe haberet aut ſentiret, reſpondẽs ait, ſi pecunias haberem bene ſtarem.

Periuria Curialium.

Attende hypocryſim imò tyrannicam exactionẽ.

Cyrillus.

Cõparatio.

O impudẽtiam cœcam atq; deteſtandam.

Nouum

Nouum Bonifacij commentum ad emulgendas pecunias à ſuis creaturis, illiſq́ pro commodo, aut extollendis aut ſpoliandis. Caput xii.

PRæterea idem Bonifacius circa ſeptimum Pōtificatus ſui annum in grauiſſimum detrimentum cathedralium eccleſiarum & monaſteriorum ac prælatorum (quos illis uacātibus præfecit) certam ordinationem ſeu regulam ſuæ cancellariæ edidit, continens in effectu, quòd quicunq́ Archiepiſcopi, Epiſcopi, necnon Abbates per eum promoti infra annum à tempore promotionis huiuſmodi de ipſis factæ incluſiue computandum, literas ipſius Bonifacij ſuper eiſdem promotionibus uſq́ ad Theſaurariam expeditas non haberent, caderent à iure ſibi acquiſito ex promotionibus ipſis, ac eccleſiæ & monaſterij ex eo ꝑ annum uacarent. dictæq́ literæ (licet ſoluiſſent per eum promoti, aliquando pro maiori parte expenſas) & onera quæ de nouo promotis incumbunt, non dabantur de ipſa Theſauraria, niſi totaliter perſoluiſſent. Vnde multi Epiſcopi, Archiepiſcopi & Abbates de nouo promoti per ipſum ex defectu pecuniarum per lapſum dicti anni perdiderunt eorum titulos, & ius ſibi competens in eccleſijs & monaſterijs quibus præfecti fuerūt. Et hæc practica irremiſſibiliter obſeruabatur tempore Bonifacij uſq́ ad eius obitum in Curia. Et ſicut frequenter de Archiepiſcopis & Epiſcopis facti fuerunt extra Archiepiſcopi & Epiſcopi, ita & de Abbatibus non Abbates, & de glorioſis inglorij, ac de magiſtris diſcipuli, in ludibrium & ſcandalum totius cleri & populi Chriſtiani, ac damnum eccleſiarum & monaſteriorum quibus præfecti fuerūt. Et per hoc etiam uſuris & alijs multis malicijs uia latiſſime aperta fuit in Curia ſæpedicta, & multæ Baratriæ ſequebantur. Et licet innocentius vii. qui dicto Bonifacio ſucceſſit, dictam ordinationem tanq́ iniuſtiſſimam & nequiſſimam in principio ſui Pontificatus refutaſſet, poſtremo tamen ad importunam inſtantiam aliquorum lucri cauſa eam circa aliquos prælatos renouauit in principio ſecundi anni ſui Pontificatus, propter quod deus ſubito puniuit eū ut creditur, ut inferius ſuo loco clarius apparebit, & pro certo baratrias & nouas adinuentiones dicti Bonifacij ad extorquendū pecunias indifferenter ab oībus fiebant, ut uix aliquis per omnia conſcribere poſſet. Tunc temporis uidiſſes etiam continuo ualde multos apoſtatas diuerſorum ordinum mendicantium & non mendicantium, in eadem urbe diſcurrere, & aliquos effici armigeros ipſius Bonifacij, ſed plurimos titulares Epiſcopos, ac pleroſq́ ſedis apoſtolicæ capellanos, ad aliquam eccleſiam titularem Qualis pater familias talis familia.

promouebat, ita quòd nonnulli qui heri ut ſcurræ ſeu hiſtriones aut diſcoli per uicos & tabernas, aliaq́ꝫ ſuſpecta loca per urbem diſcurrebant, in publico hodie facti Epiſcopi & prælati ſancta tractabant, nullis præmijs, nulla prius habita pœnitẽtia ſeu abſolutione à cenſuris eccleſiaſticis, quas ſic euagando per mundum & apoſtatando, & peccãta enormia committendo damnabiliter incurrebant. Præterea multi religioſi, & præſertim mendicantium ordinum fratres, quòd poſſent eccleſiaſtica beneficia regère, & extra eorum ordines & loca religioſa morari, ac alia ſimilia multa impetrarunt, nec potuit adeo quid iniuſtũ aut abſurdũ poſtulari, quod non concèderetur intercedẽte ſymoniaco pacto, & ſoluta pecunia ex ſtipulatu prædicto promiſſa in Curia ſæpedicta.

Attẽde metamorphoſim.

Sententia Hora. Diuina humanaq́; pulchris diuitijs parent &c.

Quòd à parentibus non multum degenerauerit Bonifacius, & quantum is diui Petri auxerit patrimoniũ. Cap. XIII.

HIc Bonifacius habens matrem omnium mulierum auariſſimam, & duos fratres præſentes in Curia (de quibus ſupra quædam tetigi, & plura dicentur inferius) his complacendo gratias quas poſtulabant pro alijs conceſſit, unde ipſi, ſcilicet mater & fratres magnas pecuniarum ſummas congregabant, Sed reſpice finem, qui ſi bonus eſt, eum laudare memento. Ipſi enim pro omnibus duplicia receperunt, & ſi forſan aliqui uenientes ad præfatam Curiam habebant equos pulchros, aut illos omnes ſeu ſaltem aliquos ex eis dicti fratres modis omnibus àcquirebant & uolebant habere, nec aliquis eis quæ petebant præſumpſerat denegare. Fuit inſuper ipſe Bonifacius in temporalibus non mediocriter fortunatus, ſed in ſpiritualibus debilis, nam in quarto anno ſui pontificatus ciuitatis Peruſinæ & ſuorum caſtrorum omnium ei oblatum ultro temporale dominium acquiſiuit. Veniens autem ad Peruſinam illic periculoſe & diutius ægrotabat, ſicq́ꝫ etiam diu ſecit in Reate primo anno ſui Pontificatus, & paſſim Viterbium, & Montisflaſconenſium ciuitatum, multorumq́ꝫ illic adiacentium caſtrorum mediante dicto Cardinali Rauennatenſi tunc ad ipſum de præfato Clemente conuerſum, & ſucceſſiue fortiſſimas Narnienſi, & Spolètanæ ciuitatum arces, & ipſas ciuitates cum ducatu Spoletano, multaq́ꝫ alia loca munita, & tandem marchiam Anchonitanã, pariter & Bononiam ſub eius ditionẽ recepit, & in decimo anno ſui Pontificatus Romæ in alto, & baſſo tẽporale dominium habuit, & ꝙdiu uixit tenuit manuforti. quòd contigit ex diſſenſione ciuium Romanorũ, quæ omnes politias cito diſſoluit,

Filij huius ſeculi &c.

Ciuitates quædam ad Bonifaciũ deficiunt.

Romani omnes Bonifacio parent.

ſoluit, & ut urbem, prouincias & ciuitates, terras & caſtra poſſet ſine defectione tenere, multos ſecum ſtipendiarios ſemper habuit, ſed dictos eius fratres uoluit in omnibus præeſſe, multis etiam & grauibus aſſiſijs, tallijs & impoſitionibus eccleſiaſticos prælatos ac presbyteros, necnon clericos & laicos dictarum prouinciarum per eoſdē ſuos germanos & ſtipendiarios aggregauit, ac nimis ſeuere quæ petebantur ab ipſis pecuniaria ſubſidia, fecerat extorqueri, non parcendo dignitati, ſtatui uel ætati.

Attende ex paſtore lupum, ex patre carnificem, ex Pōtifice tyrannum.

De inſana ædificiorum extruendorum libidine, qua pleriq; Pontifices laborant pernicioſiſſime. Cap. XIIII.

CAſtrum etiam ſancti Angeli prædictum in Burgo ſancti Petri Romæ totaliter tunc deſtructum, ſumptuoſe de pecunijs, quas taliter per ſymoniā acquiſiuit, de nouo fecit reformari. Capitolium etiam Romanum, ubi indigebat notabiliter reformauit, & adeo muniuit, quòd de hoc Romani ciues non uidebantur eſſe contenti, aſſerentes illud non caſtrum ſed prætorium eſſe debere, atq; tractandum cauſas, & conſulendum in illo pro re publica urbis fuiſſe deputatum, & ad hoc ualde multi pauperes presbyteri continue laborabant portantes lapides, & cementum, ut ſic gratias aliquas ab eodem Bonifacio reportarent, & literas eius ſuper illis gratis haberent, quod pauci eorum conſecuti fuerunt. Præterea idem Bonifacius prætextu huiuſmodi ſtructurarum, quas fecit fieri, & gentium armigerarum quas tenuit, ut multas pecunias poſſet exigere, pleroſq; Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, & alios eccleſiaſticos prælatos præſentes in eius Curia uel abſentes inſcios & inuitos, uel ſimpliciter abſoluit à prælaturis ſuis, & aliquando eas ad titulares eccleſias tranſtulit, ſeu promouit ad procurationem regum & principum, Cardinalium, & aliorum, dummodo pactæ eſſent ſummæ pecuniarum quantum uolebat. Vnde in pleriſq; regnis & prouincijs maximæ diſcordiæ oriebantur. Vidiſſes tunc in eadem Curia multos ſolo nomine incedere prælatos ab omnibus deſpectos, nec habentes forte panem ad manducandum, quibus ipſe Bonifacius non compatiebatur, nec ad ipſum intrauit gemitus eorundē. Ipſe etiā paulo poſtq; electus fuit in Papam dominum Ladislaum coronari fecit in regem Siciliæ, tunc ætatis forte XVII. annorum, ac ipſum & dominas Margaretam matrem & Ioannam præfatas ſororem ipſius regis Ladislai recepit in plenitudinē gratiæ ſuæ ac ſedis apoſtolicæ, abſoluens ipſos ab omnibus eccleſiaſticis cenſuris & proceſſibus, quas præfatus Vrbanus

Improbitas atq; inclementia Bonifacij in prælatos.

nus tulit in eos propter regem Carolum præfatũ dudum in Hungaria interfectum. Et non diu ante ipſius obitum electionẽ de domino Roberto moderno rege Romanorum per Archiepiſcopos Moguntinenſem, Colonienſem, & Treuerenſem electores imperij contra dictum dominum Venceslaum regem factum, me etiam tunc præſente in conſiſtorio publico approbauit, promittens quòd ſibi fauores apoſtolicos impẽdere uellet. Ipſe autem dominus Robertus licet ante dictam approbationem ueniſſet uſq; ad Italiam contra ducem Mediolanenſem, tamen in hoc finaliter non profecit. Et nunc redeundo ad propoſitum, dictus Bonifacius multis morbis acutis, ſcilicet graui tuſſi, raucedine gutturis, cholica, & calculo, & nõnullis alijs ægritudinibus concurrentibus continue premebatur, præfatumq; dominũ Ladislaum regem tunc pauperem, multum illa intentione quòd matrẽ & fratres ſuos prædictos aliosq; de ſtirpe ſua ut exiſtimo commendatos haberet, iuuit in pecunijs & gentibus armorũ, adeo quòd rex ipſe fretus auxilio Bonifacij Neapolim & regnum Siciliæ de manibus hæredum prædicti ducis Andegauenſis & quorundam aliorum potentum tunc detentum, recuperabat, quod ſine auxilio Bonifacij aut uix uel nunq; facere potuiſſet. Hic etiã Bonifacius reſidendo Peruſij prædictam ſororem ſuam matrimonio tradidit Comiti ſancti Flauiani inter regnum Siciliæ & marchiam Anchonitanam reſidenti, quẽ poſtea ducem Adriæ fecit, dans ei in dotem XVII. milia florenorum, ut fama laborabat, qui quidem dux factus fuit ultra modum lubricus & ſæuus tyrãnus, & poſt multas crudelitates per eum commiſſas dicta eius uxor ex iactura cultelli in eam per ipſum ducem ira commotum prout dicebat̃ facta uita finiuit. Cuius exequiæ in Baſilica principis apoſtolorum largiflue pactæ fuerunt, ſumptibus Bonifacij & eo diſponente, & dux ipſe qui non fuit in eiſdem exequijs, poſtea traditorie eſt interfectus.

Electio Roberti Palatini contra Venceslaũ Bohemũ à Bonifacio comprobatur.

Bonifacius morbis uexatur.

Bonifacij ſoror nubit.

Dos parũ ampla tanti ſacerdotis ſorori.

Tragœdiæ funebres in morte amicorum Pontificis adhibitæ.

De ſtatu urbis Peruſienſis, eiusq; populi factionibus ac bellis ciuilibus. Caput XV.

IDem Bonifacius præfatis fratribus ſuis ab eodem Ladiſlao Soranũ comitatũ & quædam alia dominia in regno Siciliæ conſiſtentia precio emit, pro quibus ultra centũ milia florenorum auri exburſauit de pecunijs eccleſiæ. Verũ in eadem ciuitate Peruſina ſunt tres ordines ſeu ſtatus ciuium, nam quidam ſunt nobiles, qui dicuntur Beccarini, & poſt eos maiores de populo, qui Raſpantes nuncupantur, & minutus populus, qui quidẽ

Peruſini poſtq; à Romano imperio recedentes, ſe ditioni Romanæ
eccleſiæ ſubdiderunt, inuicem hoſtiliter diſſidentes, nūc una pars ali-
am, nunc alia iſtam uiolenter expulit à ciuitate, ſeq; ultra modum in-
uidioſe tum perſequebantur, & perſequi non ceſſabant. Ipſe autē po-
pulus minutus indifferenter tenuit ſe cum parte uincente, aliàs enim
ciuitas ipſa in breui tempore abſq; habitatoribus remāſiſſet. De quo
eſt ualde mirandum, ipſa enim ciuitas eſt in äere ſalubri (rariſſime
ibi peſtilentiæ) collocata, magna, populoſa & inclyta, habens genera-
le ſtudium, & utriuſq; ſexus habitatores ingenio acutos, proceres &
decenter indutos, necnon circumſcripta factione ualde honorabiles,
affabiles & iucundos, & ad omnia ſiue ſeria ſiue ioca peragēda prom-
ptiſſimos & audaces, necnon ad miniſtrandum iuſticiam & punien-
dum exceſſus ac maleficos perdendū ſemper bene diſpoſitos & ſoler-
tes. Contigit igitur quòd cum prædictus Bonifacius Peruſij anno
quarto ſui Pontificatus in æſtate reſideret, quod dicti Raſpantes, qui
tunc erant exules ab eadem ciuitate, ad illam uellent, qualitercunq; re- *Exules Peruſini.*
dire, & exercitū haud longe ab eadem ciuitate ducerent, ac ibidem die
bus pluribus morarentur, quorum generalis capitaneus uocabatur
nomine proprio Beordus, ualde audax & expertus in armis. Ipſe au- Beordus
tem Bonifacius conabatur facere concordiā inter ipſos, & Beccarinos,
ita quòd plures Raſpantium ſub colore concordiæ ciuitatem reintra-
runt, ſed Bonifacius prouentus & emolumēta, quæ recepit à dominio *Pontifex parum de ſalute ſubditorum curans.*
Peruſino, in dote ſororis ſuæ præfatæ & alijs ſuis priuatis uſibus con-
uertens, non tenuit in eadem ciuitate ſtipendiarios, qui unam partem
alteri parti forſan iniuriari uolentem ui reprimere poſſent. Vnde ac-
cidit in principio menſis Auguſti infra horam prandij me tunc è regi *Quo pacto negligentia Ponti. Peruſini ciues in mutuas neces graſſabantur.*
one palatij dicti Bonifacij habitante & uidente, quòd multi de Raſpā-
tibus ad plateam ante palatium ſubito irruentes, quos ibi inuenerūt
Beccarinos de hoc improuiſos crudeliter occiderunt, & forſan centū
numero illo die, inter quos erant multi milites, & militares, & pleriq;
legum doctores, & alij eminentiores ciues. Et huiuſmodi inuaſio atq;
interfectio per dies aliquot perdurauit. Iſte autem Beordus fugiente
dicto Bonifacio à Peruſio, infra paucos dies poſtea intrauit Peruſiū *Exules reducuntur.*
cum quingentis equitibus, & dominium ipſius ciuitatis & eius caſtro
rum adeptus eſt. Et cum poſtea Bonifacius de Aſſiſſio ad urbem re-
diſſet, tūc Beordus Tudertinā ciuitatē eiuſq; comitatū cōtra Boniſa-
cium mouēs publicā guerrā apprehendit, & q̄diu uixit tenuit & poſ-
ſedit, & in marchia Anchonitana pugnando campeſtri bello cū ipſo *Frater Bonifacij in bello captus*
Marchione, & Rectore dictæ Marchiæ, fratre ipſius Bonifacij, eū ui-
cit, & diu tenuit captiuū, quē tñ ipſe Bonifacius mediante pecuniario
ſuffragio liberauit.

K Vnde

Machinamenta, quibus Pontifex Beordum Peruſinorum præfectum dolo obtruncat. Caput XVI.

Vnde Bonifacius ualde indignatus Beordo, ipſum excommunicauit, & perquam diros proceſſus contra ipſum in urbe fulminauit. Sed quia parum uel nihil ꝓfecit in illis, ad alias ſubtilitates ſe conuertit, per quas Beordum dolo interfici procuraret, prout ſtatim factum fuit. Vnde Abbas monaſterij ſancti Petri in Burgo ſancti Angeli Peruſini, qui erat de parte Beordi & Raſpantibus, cui Beordus plurimum confidebat, ſed ille Abbas credens ſe conſecuturum propter facinus huiuſmodi Cardinalatum, unà cum quibuſdam ſuis amicis paucis quodam mane accedens ad hoſpitium dicti Beordi in Peruſio, eodem adhuc in lectulo quieſcente, pulſauit ad hoſtium cameræ, in qua Beordus quieuit, & audito quòd dictus Abbas exiſteret, qui pulſauit, mandauit ianitori, ut portam aperiret, & ipſe interim diploide duntaxat ſe ueſtiuit, & ſurgens de lecto, necnon dictum amplexando Abbatem, tunc duo qui cum Abbate erant ipſum extractis gladijs confoderunt & traditoriè interfecerunt, quo facto ipſi ſtatim fugientes à Peruſio ad Bonifacium acceſſerunt, qui dictum Abbatem recipiens in eius cubicularium ſatis honorauit, & dilexit. Tamē idem Abbas poſtea infra pauca tempora in urbe morte naturali deceſſit, & alij interfectores Beordi ſeu complices ipſius Abbatis nullam mercedem ab ipſo Bonifacio conſecuti fuerunt, ſed remanſerunt exules proſcripti, ac banniti ſemper à ciuitate Peruſina præfata. Dictus uero Bonifacius ſolicitante eũ ad hoc prædicto Cardinali Monopolitanenſi, turpiter fugit ad Aſſiſſium declinando, comitatus VII. Cardinalibus & officialibus ſuis ac Curialibus multis, tamen Rauennas & Piſanos Cardinales, de quibus ſuperius dictum eſt, & multi ex eiſdem Curialibus per multas ſeptimanas & ego cum ipſis remanſimus in ciuitate prædicta. Raſpantes uero dixerunt, quòd multum mirabantur quare dominus Bonifacius taliter aufugiſſet, cum ipſi nihil in eius aut ſuorum Curialium præiudiciũ uoluiſſent aut uellent conari, & quoſdam magnæ authoritatis uiros minimè ſuſpectos ad Bonifacium deſtinarũt ad Aſſiſſium, rogantes ut ad ſuam ciuitatem redire dignaretur, eam cum eius iuriſdictione temporali uti prius fecerat pacificè poſſeſſurus. quod tamen facere nõ curauit, ſed poſtea ad Romam reuertebatur, & pro illis de Beccarinis ſuperſtitibus (quibus Raſpantes in ipſa ciuitate mortem intentabãt, repertiq; ſubito mactabantur) non rogauit, aut ſcripſit, quòd ipſi Raſpantes à cęde Beccarinorum ceſſarent. Et tunc pro precio XV. milia

Beordi mors

florenorũ

florenorum auri, præter alias ſummas quæ inter mediatores ſeu proxonetas huius tranſactionis diuiſæ fuerũt, ciuitatẽ Rigenſem in Pruſſia, quæ tunc in temporalibus ſpectabat ad Metropolim Rigenſem, cum eius territorio & pertinentijs uniuerſis uendidit ipſe Bonifacius in aſſiſſium perpetuũ magiſtro & fratribus hoſpitalis beatæ Mariæ Theutonicorum, inuito Archiepiſcopo, & capellano Rigenſi, & ipſa eccleſia tunc erat ordinis ſancti Auguſtini canonicorum regularium, celebris ualde, ſed poſtea mutauit ſtatum, & canonici illi ſunt hodie fratres hoſpitalis eiuſdem.

Vendit diuina atq; humana Bonifacius.

Ladislaus à Bonifacio rex Hungariæ coronatus, parum illic rebus eccleſiæ proſpicit. Caput XVII.

POſtea uero ipſe Bonifacius eodem anno decimoquarto ſui Pontificatus dictum dominum Ladislaum coronari fecit in regem Hungariæ in ciuitate Iaurienſium per Cardinalem Florentinenſem, ſibiq; omnem cenſum, in quo eccleſiæ Romanæ eatenus ratione dicti regni Siciliæ tenebatur, qui æſtimabatur ualere octingenta milia florenorum auri, ſponte remiſit, & triennalem decimam in regno Siciliæ ultra hoc ſibi conceſſit. Vnde multa mala prælatis & clero dicti regni ſubſecuta fuerunt, tamen Ladislaus in regno Hungariæ modicam utilitatem ſibi aut eccleſiæ confecit, ſed infecto negocio quod intendebat in Hungaria ad ſuum regnum Siciliæ nauali ſubſidio infra pauca tempora redijt. Cum enim idem Ladislaus illuc iret, rex Sigiſmundus in Boëmia, qui audiens regem Ladislaum ad regnum Hungariæ ueniſſe, accelerauit & ipſe redire ad regnum Hungariæ, unde collecto forti & decenti exercitu armatorum ad Hungariam iter egit, cauſa cum Ladislao pugnãdi, quod ſentiens Ladislaus maluit ad regnũ redire Siciliæ, ſicq; pace gaudere, quàm ſub euentu litis dubio in Hungaria diutius remanere, aut pugnare, quia uincere cum neſcit ſapiens pro tempore cedit.

Tumultus Hungariæ regis contra Bonifacium, & quæ tum in eodem regno contra Curiam acta fuerũt. Cap. XVIII.

AT Sigiſmundus ægre ferens, quòd præfatus Bonifacius contra eum talia fieri fecerat, de ipſo Bonifacio ac collegio Cardinalium & multis magnatibus per mundum uehementer conquerendo famoſas epiſtolas deſtinauit, & ex hoc in ipſo regno Hungariæ clades hominum innumerabilium ac

eccleſiaſticorũ & piorum locorum & monaſteriorũ enormis deſtructio, incendia ciuitatum, oppidorum, uillarum, & caſtrorum, necnon infinita alia mala, quæ guerræ ſecum producunt, diu uigentia ſubſequebantur, quia non ſine multorum diſpendio reges deponuntur. Et adeo uires aſſumpſerunt mala huiuſmodi, quòd etiam presbyteri & eccleſiaſticæ perſonæ utriuſq; ſexus non fuerunt ſecuri per totum regnum Hungariæ, quantum ad inuaſionem & deſtructionem nulla eſt habita differentia inter presbyteros, clericos, & uulgares, ſacrũ & prophanum. Et exinde in Curia Bonifacij pauci Hungari uiſi fuerũt. Sed ipſe Sigiſmundus poſtea cathedrales eccleſias & monaſteria, necnon omnia beneficia eccleſiaſtica in Hungaria dedit quibus uoluit, & hoc de exaltatione regis Ladislai quoad regnum Hungariæ ipſe Bonifacius & eius collegium lucrati fuerunt.

Bonifacius balneandi cauſa Puteolas proficiſcitur, author eorũ amœnitatẽ deſcribit atq; commendat. Et quædam mira de ſubterraneis cuiuſdam montis meatibus, Cap. XIX.

CVmq; Bonifacius XV. annũ ſui Pontificatus attingeret, deliberauit ire cauſa recreatiõis ad balnea calida ĩ Tripergulis prope ciuitatem Puteolanam, quæ balnea XIII. miliaria Italica diſtant à Neapoli, & ſunt prope mare, ubi adhuc cernitur hoſpitium Sibyllæ Cumanæ, ut fama eſt, necnon aliqua pars antiquiſſimarum Cumanum & Baiarum ciuitatum, quas olim mare abſorbuit. De quibus quidem ciuibus & delicijs incolarum Horatius, & Seneca, & alij poëtæ plura referunt, & adhuc aliquæ partes turrium atq; domorum lapidearum ſupra aquas maris eleuantur. Et ſunt in loco prædicto ut dicitur XXXII. balnea ſingularia habentes uirtutes mirabiles & diſtinctas, quas deſcripſit in quodã libello metrico Geruaſius orator Arelatenſis, & Cancellarius Ottonis huius nominis quarti imperatoris, de quo fit mentio in. C. uenerabilẽ, de electione, qui fuit Saxo, ſed Pictauiæ in Francia cõuerſatus, ad eius ſolatium idem Geruaſius conſcripſit etiam alium librum, qui intitulatur Ocia imperatoris. Et ibidem in Tripergulis de uno monte ſaliũt tres puriſſimi fontes contigui, unus prope alium, & horum unus eſt calidus, alter tepidus, tertius uero frigidus, & prope in mari fluunt, & inter huiuſmodi balnea unum dicitur Solis, alterum Lunæ, quæ credo fuiſſe olim Auguſti & Auguſtæ tantũ deputata. Et in eodem mõte ſunt multæ uiæ mirabiles ſculptæ in lapidibus, & etiam ſpeluncæ quàm plures quadratæ adinſtar puteorũ, ualde profundæ, & uidentur

Cumæ atq; Baiæ mari obrutæ.

Geruaſius. Cãcellarius Ottonis balnearum Puteolanorum uires deſcribit.

tur

tur fumantes cineres albi in eiſdem, & in ſuperiori parte turres & camerae latae ac magnae etiam ſciſſae in petris, ſed ad quid aut quãdo & per quos id olim factum fuerit, ac qualiter illae uiae atq; ſpeluncae turresq; & camerae in ipſa petra ſculptae fuerunt, aut quo uiae praedictae ab alia parte montis clauduntur non poteſt aliquis ut exiſtimo ueraciter indagare. Ego uero & mecum duodecim ſocij omnes nudi dictũ montem intrauimus, reptando manibus & pedibus per plures ſculptas uias, & loca quaedam ſunt ſicut cellulae in ipſo monte, per quas tranſire nos oportuit donec ad medium illius perueniremus, ubi quidam fons adeo calidus ſcaturit, quòd ſi imponatur ouũ ſubito indureſcit, nec poteſt aliquis gradiens per illas uias in altum caput erigere abſq; imminentis ſuffocationis aut mortis periculo, propter nimium calorem proueniens forſan ex fumoſitate dicti fontis ebulientis. Eſt quoq; illic ſignum ſtatuae in figura hominis equeſtris poſitũ in una earundem uiarum, ultra quod ſignum non eſt alicui gradiendum; huiuſmodi uias ſoli uicinorum locorum incolae extenſis faculis tunc ſunt experti. Sed contigit ſaepe quòd Noto flante ac dictas uias penetrante ſi quis tunc eſſet in eodem monte ſtatim ſuffocatur. ſicut accidit tribus militibus Alemanis tempore dicti Ottonis ducis, qui redeuntes de ſepulchro dominico, montem ipſum utiq; intrare uolebant, ſed ſubito flante uento ſuffocati in monte perierunt. Ego autem illum ingrediens dum iuuenis eſſem, ſic reptando ultra modum ſudaui, uouens tunc deo, quòd ſi me illa uice extra illum montem ſaluũ redire permitteret, nunq; eſſem de caetero reuerſurus.

Author rerũ naturae curioſus indagator mõtem intrat.

Balnei Puteolani uirtutes atq; effectus. Et de monte quam uulgus Veneris dicit. Caput XX.

Sunt etiam prope illum montem alij mõtes ſulphurei, qui ſaepe flante Africo incendũtur & eructant flammas terribiles, maxime tempore hyemali, quas ultra octo miliaria Italica flante Africo quandoq; conſpexi. Ego etiam illic quodam mane balneum ſanctae Margaretae nuncupatũ ingreſſus, & mecum quidam qui habuit manũ inflatam & ualde dolentem, qui me uidente balneando ſubito curatus eſt, & quoddam ſignum rubeum ubi dolor erat duntaxat remanſit, inflatura & dolore totaliter mitigato. Et Geruaſius in libello ſuo de uirtutibus illarum balneorum concludit, quòd ibi ſit introitus ueri purgatorij, in quo ſicuti diuina prouidentia ſaluandorum animae purgantur, ſic corpora hominum uiuentium uarijs morbis infecta illarum aquarum ſalientium ſalubritate

curantur. Sed ego puto eſſe fabuloſum, & tractum ex VII. politicorū, ubi dicitur, quòd illi qui uolunt feliciter agere, & frui omnibus quæ ad beatitudinem pertinent, neceſſaria eſt temperantia & iuſticia, & additur, propter quod in inſulis Baiarum ſicut poëtæ dicunt, in quibus animæ bene operantes uiuunt feliciter, perſeuerant poſt mortē, & talibus maxime utilis eſt philoſophia, in cuius actu conſiſtit ultimus finis, & temperantia, per quam ſedantur cōcupiſcentiæ, & colitur iuſticia, per quam regulantur actiones. Sed illæ inſulæ quæ uocātur Baiarum aliæ ſunt ꝙ in quibus balnea ipſa conſiſtunt. Et deinde ad quatuor miliaria prope cernitur mons ſanctæ Barbaræ in plano campo eminens & rotundus, quem deluſi multi Alemani in uulgari appellant der Gral, aſſerentes prout etiam in illis regionibus pleriꝗ autumant, quòd in illo multi ſunt homines uiui, & uicturi uſqꝫ ad diem iudicij, qui tripudijs & delicijs ſunt dediti, & ludibrijs diabolicis perpetuo irretiti, prope quod eſt unum balneum in quadā caſa penitus ſine aqua, ſed ſolum ſuper quendam rotundum & latum lapidē exuti ueſtibus ſedent balneantes, qui incipiunt ſudare delectabiliter & bene purgantur, cuius ipſe quoqꝫ experientiam feci, prope quod eſt ſtagnum, in quo ſerpentes nemini nocentes in maxima multitudine frequenter apparent. Et in hac regione ſegetes matureſcunt & colligunt in Maio & circa medium Aprilis, etiam tunc in Neapoli reperiuntur in copia noui fructus, ſcilicet fabæ, ceruſa, atqꝫ pyra parua dulcia & guſtui amœna, credo quòd in hac multum operetur induſtria incolarū. uideres etiam ibi uuas in uitibus ſuper ulmos protenſas in hieme uſqꝫ ad feſtum natalis domini in copia magna, & uiridaria multa quouis tempore anni arboribus & herbis uirentibus plena.

Mons, quē Veneris uulgus appellat.

Mira uis balnei prorſus ſicci.

Ruinæ atqꝫ ueſtigia ueterum ædificiorum circa Neapolim, & de monumentis Virgilij ibidem. Caput XXI.

DEinde reuertendo ad Neapolim, inuenitur crypta per mōtem magnum lapideū ſciſſa, medium miliare & ultra continens in lōgitudine, quæ eſt adeo proportionabiliter ab illo & ab alio introitu montis facta, quòd abſqꝫ lumine illā clara die quiuis poſſet trāſire, tam alta in ſuperficie ac lata, quòd unus equus obuiādo alteri ipſum non artat à uia, in cuius principio uerſus Neapolim cernitur ſepulchrum magni poëtæ Virgilij Mātuani, ad quod de Brunduſio ubi deceſſit poſt eius obitum oſſa ſua delata & in eo ſepulta fuere, quia ipſe per artem Magicam dictam cryptam (quod tamē fabuloſum eſt) fieri ordinauit petente cæſare Auguſto, propter nimiam

Sepulchrū Virgilij.

nimiam multitudinem ſerpentum, qui ſemper in cacumine dicti mõtis exuberanter ſerpunt. Et multa alia mirãda fecit in Neapoli dictus Virgilius, quorum adhuc aliqua ueſtigia uidentur ibidem.

Tria milia hominum receptacula in monte quodam circa Neapolim. Et alia quædam uetuſtatem teſtantia lectu iucundiſſima. Caput XXII.

AB alia uero parte Neapolis, prope eccleſiã ſancti Ianuarij, quæ diſtat quatuor miliaria, intraui ſemel cum aliquibus ſocijs cum facibus ardentibus clara die quendam alium montem, in quo ultra tria milia camerarum ſculptarum in petra duriſſima uidi, & in qualibet ipſorum camerarum ualde multa monumenta ad omnem proportionem hominum ab uno anno & bimatu & ſic ulterius aſcendendo ad hominum iuſtam magnitudinem antiquis temporibus facta, & in medio dicti montis quendam locum ad modum carceris factum conſpexi, & dicebant ruſtici, qui nos intro duxerunt, quendam Rolandum fortiſſimum contra Græcos pugnãtem captum in bello & illic incarceratum fuiſſe, quod æſtimo falſum. Verum Franciſcus Petrarcha in ſuo libello, quem itinerarium intitulat, de iſtis plura loquitur, ad quem illa pertractandi plenius ſi uelis recurrere potes. In libello ipſo miranda recitat, quæ transfretantibus mare de Hoſtijs Tiberinis uſq; Neapolim, quorum multorum clara ueſtigia uidentur. Ibi olim habitauit Circe, quæ ſuis carminibus ſocios Vliſsis conuertit in beluas, & ubi olim erat carcer illuſtrium, & ubi Tullius interfectus eſt, & ubi Scipio Africanus ſibi elegit exilium & inſulam poëtarum, & ubi Tarquinius ſuperbus pulſus eſt à Roma Latinorum deſtitutus auxilijs occubuit, & montẽ Veſuuium in mari protenſum, ubi eundem Vliſſem aiunt ſacrificaſſe. Poſt Hoſtia Tiberina caput Antij cernitur. ita enim uocant nautæ locum ubi Antimum fuit caput Volſcorum, quæ cum olim multa bella cum Romanis geſſiſſet, capta demum & cum tota gente ſubacta eſt. Proxime Aſtur eſt, inde mons Plancus, cui carminibus potẽs Circe nomen impoſuiſſe creditur, ibi enim, ut aiunt, habitauit, atq; Vliſsis ſocios conuertit in beluas, quæ transformatio quoddam miniſterium habet. Locus eſt celebris ſcriptorum ingenijs, hic ad dexterã Pontiæ remanent, & olim carcer illuſtrium progredienti tibi latius tunc primum aderit, mox Caieta nutricis Aeneæ nomẽ ſeruãs, ubi quo proſperior nauigatio ſit ſacrũ Eraſmi tumulum adire non pigeat, cuius ope multis in mari diſcrimine profuiſſe conſtans eſt opinio. Hic flexus littorum &

Franciſcus Petrarcha.

Formiæ. Linternum. rum & pelagi fumus ingens, ſaltuſq; lauriferi, cedrifer, & odoratum ac ſapidum ſemper læte uirentium nemus arbuſcularum. In hoc tractu formiæ ſunt, dicam uerius fuerunt, alterum Ciceronis infanda cæde, alterum Scipionis indigno nobilitatum letho, & cineribus patriæ negatis. Sed hæc duo loca æſtimatiõe magis animiq; oculis aſſequeris. Alter enim iacet, alter & latet, niſi quod apud formias duæ uel tres

Inarime. magnæ ſupereminẽt arenæ, ſed in oculis erit Inarime, quæ ſeſe obuiam dabit inſula poëtarum nota præconio, Iſclam moderni uocitant, ſub qua Iouis edicto obrutum Typheum gigantem fama eſt, fecitq; locum fabulæ & uapor uelut hominis anhelãtis & Ethnęo more æſtu-

Procyta. are ſolitum incẽdium. Vicina huic Prochyta eſt parua inſula, ſed unde nunc magnus uir Ioannes ille, qui formidatum diadema Caroli non ueritus & grauis memor iniuriæ & maiora ſi licuiſſet auſurus ul-

Cumæ Sibyllinæ. tionis loco habuit regi Siciliam abſtuliſſe. Simul & ad leuam Cumas collæ humili Sibyllæ patriam uidebis. Nam hoc Mediolano proximum lario imminens, alpibus adiacens Comum eſt, nõ Cumæ, quod ne forte cum uulgo fallaris dixerim. Hinc iam Miſenus collis in mari porrigitur, humati illic Miſeni Phrygíj nomen habens, ſunt qui putant Miſenũ ibi peremptũ ab Aenea, díjs infernis ſacrafacturo, quæ ut aſſerunt abſq; humana cæde fieri nequeunt. Atrocitatem facinoris Maroneo eloquio excuſatam. Illic ſanè ſacrificatũ ab Aenea narraſſe Virgiliũ, ubi ſacrificaſſe Vlyſſem Homerus ante narrauerat. Et eſſe

Auernus hoſtia Acherontis. autem huiuſcemodi ſacris apta loca, quòd ubi ſunt Auerni, atq; Acherontis tartarea nomina, ibi dictis hoſtíj limen irremeabile, & illic facilis deſcenſus Auerni, de quo loquitur poëta, quam patentem dixit diebus ac noctibus, ſed laborioſi reditus. Hic Sibyllæ Cumanæ domus maxima ſuper horrentem Auerni ripam cernitur, iam uetuſtate ſemiruta, habitatore quidem à nullo, ſed uariarum uolucrũ nidis frequens, in qua etiam ego fui. In illo flexu fontes calidi, ac tepidi inſignius quàm in alia parte noſtri orbis erumpunt, quidam uero ſulphureũ, ac feruentes cinerem eructant. Eſt & ibi terra ſine igne uiſibili, ſine aquis, quæ à ſe ipſis ſalubrem, & medentem uaporem corporibus profert. Deniq; eiſdem in locis & humanæ uitæ remedium conuenire dixeris, & mortis horrorem. Et ſub eodem monte Miſeno Romanorũ una claſſium olim ſtabat ad occurrendum repẽtinis incurſibus. Alia quidem Rauennæ erat. Idq; alto cõſilio Auguſtus cæſar inſtituit, ut mare ſuperum ac inferum (quibus inſulæ ad inſtar Italiæ magna pars cingitur) hoc gemino præſidio tuta eſſent. Intra Miſenum Baiæ ſunt à ſocio Vlyſſis illic ſepulto ſic appellatæ ſitu eminentiſſimo. Baiæ Romanis deliciæ uidentur fuiſſe, quod & marmoreæ teſtudines calidis

fontibus

fontibus ſuperiectæ, & murorum reliquiæ ampliſſimæ indicant, & ſcriptorum aſtipulatur fides. Hic etiā Romanorum piſcinæ ingētia monſtrantur exordia, nam furoris alterius quo & foſſam ab Auerno uſq; hoſtiam tanto terrarum ſpacio per tot montes non impenſa rei publicæ ſed iactura, non labore populorum, ſed exitio fodiendis deſtinarat. Hic angulus & Lucrinum habet & undam illam Iuliam, atq; equor indignans, quorum & poëta recordatus eſt cum Georgica ſcriberet opus, à Iulio extructum, ab Auguſto cæſare immutatum, & aut me memoria fruſtratur, mare mortuum appellant, ſic maris impetum preſſerunt hominum manus. Contra Miſenum, & Baias Puteolæ tribus aut quatuor paſſuum milibus procul apparet hoc maris interuallum. Gaius Romanorum IIII. imperator, peſſimorū uero poſt Neronem primus, per inanem ſumptuoſamq; iactantiā terreſtri ponte connexuit, quem ipſe equeſtri primum habitu mox triumphantis in morem magno procerum comitatu, faſtuq; plus, q̄ cæſareo permeauit. Non longe à Puteolis Falernus collis attollitur, famoſa planicie nobilis, inter Falernum mons eſt ſaxeus hominum manibus perfoſſus, quod uulgus inſulſum à Virgilio Magicis incantaminibus factū putat. Ita clarorum fama hominum non ueris contenta laudibus, ſæpe etiam fabulis uiam fecit, de quo cum me olim Robertus regno clarus, ſed præclarior ingenio ac literis, quid ſentirem multis aſtantibus percunctatus eſt, humanitate fretus regia (qua non reges modo ſed homines uicit) iocans, nuſquam me legiſſe marmarium fuiſſe Virgilium, reſpondi ſic, quod ille ſereniſſime nutu frontis approbans, non illic Magicæ, ſed ferri ueſtigia eſſe confeſſus eſt. Sunt autem fauces ex cauati montis Auguſti, ſed lōgiſſimi atq; adeo tenebroſi intus, & horrifici ſemper nox, publicum iter in medio mutum & religioni proximum, belli quoq; temporibus inuiolatum, ſi uera populi uox eſt, & nullis unq̄ latrocinijs attemptatum crīptam Neapolitanam dicunt, cuius etiam in epiſtolis ad Lucillium Seneca mētionem facit. Sub finem tramitis ubi primo uidere cœlū incipit, in agro edito ipſius Virgilij buſta uiſuntur peruetuſti operis, unde hæc forſan ab illo perforati montis effluxit opinio, iuxta breue, ſed deuotiſſimum ſacellum ſupra ipſum crīptæ exitum, & mox ad radicem mōtis in littore uirginis matris templum, quo magnus populi aſſidue nauigantium fit cōcurſus. Proxima in ualle ſedet ipſa Neapolis, inter urbes littoreas non minima, portus hic eſt manu factus ſupra portum regiæ, ubi ſi in terram exeas capellam regis intrare non obmiſeris, in qua conterraneus olim meus pictorū noſtri æui princeps magna reliquit manus & ingenij monumenta. Non audeo te hortari, ut in colle urbi proxime Car-

Reſpōſum Franciſci Petrarchæ an Virgilius Magus fuerit.

De meatu ſubterraneo longiſſimo.

Neapolis deſcribitur atq; laudatur.

me Carthuſiæ domum adeas, ſcio ut nauigatio fatigationem, & faſti-
dium parit, ac clare uirginis præclarum domicilium, quamuis à litto-
re parumper abceſſerit, uides reginæ ſenioris ampliſſimũ opus. Illud
nulla feſtinatio, nullus labor impediat, quin duos illius urbis uicos,
ſcilicet Nidum, & Capuanum uideas, ædificijs ſupra priuatum modũ,
& anteq̃ peſtis orbem terræ funditus exhauſiſſet, uix cuiquam credi-
bili militiæ numero ac decore incomparabiles milites. Ad militiæ pe-
lagus opus profeſſioni tuæ debitum te mitto ſtudioſum ueritatis nõ
ad fabulas. Et iccirco caſtrum Oui titulo cognitum, eminus conſpe-
xiſſe ſatis fuerit. Hæc eſt ciuitas ubi Virgilius noſter liberalibus ſtu-
dijs operam dedit, cum iam ante patria illum tua Mediolanum tene-
rioribus annis diſcipulũ habuiſſet. Hinc tandẽ digreſſo biceps ade-
rit Veſuuius, & ipſe flammas eructare ſolitus. Hinc ad dextram Ca-
prarum inſula ſequitur aſperrimis rupibus circumſepta. ſeceſſus inſa
mis ſeruilium Tiberij uoluptatum, & officina ſæuitiæ. Pulcherrimus
terrarum tractus ad leuam Pompejos atq; Herculaneum habuit cele-
bres olim urbes, nunc inania nomina, quas terræ motibus euerſos Se-
neca inter cæteros teſte dicunt. Supereſt adhuc Surrentum, & ipſum
melliflua planicie generoſum, tota regio terræ laboris hodie, olim *Terra labo ris.*
pars Campaniæ fuerat, ueraq; ubertatis appellata, quo prætextu Ce-
reris hic Liberiq; certamẽ incerta uictoria ſtatuæ. Poſt hæc gremiũ
maris, ecce mox aliud ex ordine panditur, in quo Salernum uidebis,
& Salerni hic fuiſſe medicum fontem fama eſt, ſed nihil eſt quod non
ſenio exareſcat. Hæc Petrarcha meminit, ubi ſupra q̃ pulchra & flo- *Proſequi tur author.*
rens ciuitas ſit ipſa Neapolis nimis longum eſſet per ſingula enarra-
re, quæ alio nomine Prothonopeion ideſt pulchra, à Prothonopeio
nobili & pulchro adoleſcẽte eſt dicta, & recte, nam reuera amœniſſi-
ma & ſpecioſiſſima ciuitas eſt, habens ab iſta parte portum maris, &
ab alia quaſi in circuitu montes & ualles pingues, & fertiles delectabi-
les ualde & ſplendidiſſima ædificia, uiridaria pulcherrima, necnon
habitatores utriuſq; ſexus communiter proceræ ſtaturæ, ac ueſtibus
decenter indutos, eloquentes, & aſtutos, & ad inueniendũ res nouas
aptiſſimos, ubi ſemper ſunt in magno numero nobiles, & militares,
ſed multi intrinſecus raptores, & fures, qui nocturno tempore per tur-
mas congregati domorum hoſtia ui frangunt, & bona ſurripiunt, &
obuiantes ei caſu capiunt & ſpoliantur, & aliquando interficiunt, aut
uiuos ad puteos projiciũt, & ipſos & alia multa horrẽda committũt,
& iſti Malraſini à uulgaribus nuncupantur. Item bona & ſana uictua-
lia & diuerſa uina plus, quàm in ulla alia ciuitate guſtui delectabilia, &
ſalubria, & alia omnia, quæ ad iucunditatem, & delectationes ſunt ho
minum

minum, etiam fructus aromatici ac diuerſi communes fructus in maxima abundantia & optimo foro reperiuntur ibidem, nec uidi aliquẽ locum ſimilem eidem ciuitati & eius territorio, quo ad illa. Eſt ibi etiam regalis manſio frequenter, unde ciuitas ipſa pulcherrima, uarijs multisq; mechanicis impletur, & licet ibi ſit maximus portus maris, tamen abundantia recentium piſcium nõ habetur, ſed qui illic apportantur, in competenti foro uenduntur. quæ deſcriptio ſufficiat de Neapoli. Cumq; dictus Bonifacius galéas de aliquibus locis per mare, & demum per flumen Tiberis uſq; ad urbẽ de Anchona, & aliunde duci feciſſet, multosq; nobiles Vaſallos Romanæ eccleſiæ, qui illic in magno numero & apparatu decenti, & tempeſtiue aduenerant, cauſa comitãdi eum in præfata quadradeſima ad balnea huiuſmodi ad ſe Romam uenire feciſſet. Rex Ladislaus præfatus hoc percipiẽs timuit ne forte Bonifacius contra eum aliquid machinaretur, quapropter Bonifacio ſcripſit, quòd ipſum comitari intẽderet perſonaliter ſi utiq; per mare, ſiue terram ad illud balneum tranſire uellet, propter quod Bonifacius tunc continue in urbe remanſit data licentia redeundi ad propria illis, qui illic uenerant.

Quæ inter Petri Lunenſis nuncios, atq; Bonifacium geſta ſunt. Caput XXIII.

SEquenti uero autumno circa feſtum ſancti Michaelis ad Romam uenerunt ſolennes nuncij Petri de Luna in eius obedientia nominati Benedicti, qui dicto Clemente immediate ſucceſſit, qui quidem nuncij Bonifacium & eius Cardinales ualde diligenter exhortabantur, quod cum eodem Petro ad faciendam unionem in eccleſia uniuerſali in aliquo loco utriq; parti tuto cõcurrere uellent. Ad quod ipſi domini Cardinales partis noſtræ bene inclinati erant, ſed aſſignato termino quo ſuper hoc Bonifacius dictis nuncijs finaliter reſpondere uolebat, ſcilicet in eius palatio penes Baſilicam principis apoſtolorum, in eodẽ feſto ſancti Michaelis in ueſperis. Et cũ illic Bonifacius, Cardinales ac nuncij & multi Curiales inuicem conueniſſent, tunc præfati nuncij perquàm diſcretè, & ſolerter quæ ipſis commiſſa fuerunt, propoſuerunt, rogando & exhortando (tamen ut credebatur ſubdole) dictum Bonifaciũ, quòd finem daret huic ſchiſmati cum eorum domino ad hoc parato ut dicebant. Quibus cum Pontifex ad hoc parum benigniter reſpõdiſſet, aſſerens ſe eſſe Papam, & eundem Petrum Antipapam, & ſimilia uerba parum uel nihil ad cauſam facientia. Tũc ipſi nuncij dedignati in eius

præſentia dixerunt, quòd dominus eorum non eſſet ſymoniacus, notantes Bonifacium eſſe talem. Vnde Bonifacius ualde commotus iuſſit eos urbem exire, qui reſpondentes quòd ſaluum conductum haberent ab ipſo & Romano populo adhuc aliquantulum illic manendi, & inde recedendi, & quod illo gaudere uellent.

De morte Bonifacij. Caput XXIIII.

Vnde ipſe Pontifex ira immoderatius incaleſcens, & pungente ipſum dicto morbo calculi lectum ægritudinis ſubito intrauit, in quo tertia die ſequenti in feſto ſancti Remigij mane deceſſit, dictis nuncijs adhuc exiſtentibus in urbe, quo mortuo quidam alter perfidus miles Neapolitanus & conſanguineus Bonifacij tunc capitaneus caſtri ſancti Angeli, prædictū frāgendo ſaluum conductum eoſdem nuncios in urbe cepit, & ad præfatum caſtrum perduxit, ac demum pro eorum liberatione ab eis ſummā v. milia florenorū auri uel circa ut dicebatur extorſit, de quo ipſi domini Cardinales ac Curiales ualde doluerunt, & interponentibus ſe ipſis Cardinalibus infra dies paucos dicti nūcij de prædicto caſtro relaxati fuerunt. Dum iam ipſi Cardinales conclaue ingredi uellent cauſa eligendi ſucceſſorem Bonifacio memorato, ad quos quidam Cardinales tūc propterea in domo Archipresbyteri in gradibus eiuſdem Baſilicæ ſimul congregatis dicti nuncij uenientes rogarunt, quatenus ſuperſederent in electione huiuſmodi, & ſi hoc facerēt, ſperarent unionem futuram cito, de ipſorum domino grata uellent noua referre. quod tamen dicti domini Cardinales facere noluerunt, exiſtimantes quòd talia truffatice proponerent, ac ſtatim conclaue ingrediebantur, ut eligerent ſucceſſorem Bonifacio.

Nuncij Petri de Luna carceribus mancipantur, ac precio rediméntur.

Quanto precio Galeatius à Venceslao XX. rege ducis nomen emerit. Caput XXV.

Septimo autē anno Pontificatus Bonifacij præfatus Ioannes Galeatius de uice comitibus poſtea uocatus, dux Mediolanenſis, emit ab Venceslao rege Boëmiæ pro ſumma CL. milium florenorum, quòd ipſum ducem Mediolanēſem fecerat, & poſtea etiam unum de filijs ſuis comitem creauerat Papienſem, nec chare uendidit ipſe rex hæc notabilia dominia Imperij, quæ nec ipſe nec ſui progenitores eidem imperio addiderunt, ſed primus ille Otto magnus Auguſtus totam Lombardiam dicto imperio uniuerat,

De laude Othonis primi.

uniuerat, abducendo Berengarium regem Italiæ & eius filium Albertum cum uxoribus ipſorum uſq; ad Bambergam in Germania captiuos, ubi poſtea in exilio deceſſerūt, ſicq; dicti regis Boëmiæ genitor, ſcilicet Carolus huius nominis quartus Auguſtus, imò uerius diſſipator iniuſtus tempore Vrbani Papæ v. regnum Arelatenſe, quod ſimiliter eſt iuris & proprietatis Imperij, & quod etiam dictus Otto magnus imperator adiecit imperio, ſumpto magno prandio apud uillam nouam prope Auinionem per eundem ducē ipſi Carolo præparato tranſtulit in præfatū ducem, poſtea in regno Siciliæ uita functum, nec his contentus idem Carolus, nobilem principatū Delphinatum uulgariter nuncupatum, qui eſt una de ſeptem prouincijs dicti regni Arelatenſis, quòd etiam Burgundiæ nuncupatur, tranſtulit in regem Francorum, ſub colore quòd primogenitus regis Franciæ dictum principatum tanquàm uaſallus imperij teneret in feudum, & inde Delphinus uocaretur. Ipſe etiam rex Carolus ut electores imperij præfatum eligerent Venceslaum, dedit aliquibus eorum pecunias, alijs oppida eis adiacentia, quæ erāt proprietatis & iuris imperij. multa quoq; titulo pignoris diuerſis dominis temporalibus & prælatis eccleſiaſticis in Germania obligauit, quæ nunq; poſtea ad huiuſmodi imperium redierunt. Dictum autem imperium ex quatuor fortibus parietibus magnus Otto imperator ſtabiliuit, quibus eo ueniente diu poſt ſpirituſancto cooperante firmiter perſiſtebat, cuius tres parietes, ſcilicet regnum Arelatenſe, Lombardia, & Roma, quaſi per diuerſos uentos fortes nouiter concuſſi ceciderunt, uno ſibi duntaxat remanēte, pariete debili, uix modicam portiunculam adhuc habet in Germania ipſum imperium, magis fidelitate hominum qui commorantur in terris imperij in Alemania, nolentium ab imperio ſeparari, quàm probitate & induſtria imperatorum & regum Romanorū, qui infra ſexaginta annos proxime præteritos imperio præfuerūt. O beata res publica per tam uigiles & fideles alumnos, ſcilicet Carolū patrem, & deinde Venceslaum filiū, ac poſtremo Rupertum præfatos noſtris temporibus gubernata, nimirum igitur ſi tota Chriſtianitas contra paganos auxiliantibus tam ſtrenue ac fideliter illis tribus ſucceſſiue principibus uiguit hactenus & uiget, nomenq; imperiale timendum merito nationibus & paganis exiſtat, ſpemq; magnam gerant miſeri Chriſtiani potiſſime in ultra marinis partibus conſtituti q; de manibus impiorum in manu potenti Ruperti uel Venceslai regum aliquando debeant liberari.

Carolus quartus. rex nō Auguſtus.

Carolus prædictus Delphinatum in primogenitum regis Gallorum ab imperio alienat.

Imperium quomodo ab Ottone primo firmatū, poſt collapſum ſit.

De quibuſdam pſeudoprophetis uulgi ſeductoribus, quo pacto toti Italiæ illuſerunt. Cap. XXVI.

PRæterea anno decimo eiuſdem Bonifacij aliqui truſatores de Scotiæ partibus ad Italiam uenientes, cruces laterіcias ſubtiliter per infuſum ſanguinem in conſpectu populi exprimentes, dictas cruces etiã olei liquore intus madefactas æſtiuo tempore ſudare fecerunt, & fingentes unum ipſorum eſſe Heliam prophetã, & de paradiſo rediјſſe, mũdumq; in breui terræmotu perire debere. Et totam pene Italiam, Romã quoq; & Campaniam Romanam peruagantes, omnem populum mirabiliter deceperũt, ita quòd etiam presbyteri & clerici ac laici utriuſq; ſexus, & pene totus populus in Roma & uicinis regionibus, necnon etiam quidam Cardinales decepti per huiuſmodi truſatores ſe induerũt ſaccis ſeu albis camiſijs, nec non cantantes noua carmina per modum letaniæ proceſſionabiliter iuerunt per ciuitates, & loca uicina per XIII. dies continuo anteq; ad domos proprias redierũt, nocturno tempore cubantes in eccleſijs & monaſterijs ac eorum cimiterijs & alijs officinis illa turpiter defedando, necnon penes ipſa repertos fructus in arboribus totaliter deuorando. In quibus quidẽ proceſſionibus & ſtationibus maxime nocturno tempore multa fiebant anormala, quia ſenes & iuuenes, necnõ adoleſcẽtes & mulieres pariter & uirgines abſq; praua ſuſpicione ſimul de nocte in eodem loco cubabant, & mane ſurgentes ibant ulterius cantando tota die ſicut die præcedenti fecerunt, ſed demum uno comprehenſo pſeudopropheta in aqua pendenti, necnon ad quæſtiones poſito ipſe flagitiũ detexit pœna docente, quẽ poſt flamma combuſſit, quod cum acciperẽt aliqui ex eius complicibus, ne ipſi etiam in locũ uenirẽt tormentorum ab illis partibus clanculo abierunt.

Attende nocturna ſacra.

Nicolaus de Columna noctu contra Bonifacium urbem intrans, excidit propoſito aliquibus ſuorum comprehenſis. Caput XXVII.

ANno uero undecimo Pontificatus eiuſdem Bonifacij ſupradictus dominus Nicolaus de Columna cũ aliquibus ciuibus Romanis cõſpirauit contra Bonifacium, conatus uiolenter auferre dominium temporale ab eo urbis prædictæ, unde quadam uice noctis ſubſilentio menſe Ianuario clanculo cum multis armigeris equitibus & peditibus portam populi urbis intrauit, ad plateam Capitolij penetrarunt, & ad portas domorum plurium ciuium Romanorum tunc forte dormientium, quos crediderũt ei in hac parte uelle adhærere, ipſoſq; iuuare pulſarunt, ſed illis non reſpondentibus timuerunt, credentes quòd hæc Bonifacius reſciſſet,

ſicq; ipſis cateruatim eorum negocio imperfecto remanente ab urbe fuga lapſis & aliquibus eorum peditum in quibuſdam uineis intus & extra urbem ſe uſq; ad crepuſculum matutinum occultantibus, illi in felices uſq; ad numerum XXXI. per Romanos capti, nec mora morti addicti omnes in patibulo dicto permittente Bonifacio ſimul iugulati fuerunt, ubi contigit tunc res horribilis, quia tunc iudices, qui eos ad mortem condemnarunt nō habentes ſuſpenſorem, cuidam iuueni adoleſcentulo, etiam tunc inter alios capto, cuius pater & frater etiam tunc illic captiuati erant ſuſpendendi, promiſerunt ei immunitatem, ſi ſecum captiuatos ſuſpenderet, qui aliquamdiu ſuper hoc deliberando, tandem omnes ipſos ac etiam patrem & fratrem ſuos, tamen acriter flendo ſuſpendit, qui tamen mortem poſtq; omnes illos ſuſpendit uix euaſit, ſed aſtantium populorum precibus liberatus abſceſſit. Et ecce miſeranda humana conditio & periculoſa nimis dominandi ambitio, nam iſti pauperes ſuſpenſi fuerunt ſubditi prædicti domini Nicolai de Columna coacti ſecum Romam proficiſci cauſa temporalis dominij eripiendi à manibus Bonifacij & ſuorum, & in hoc deficientes & comprehenſi mala morte unanimiter perierunt, Bonifacio qui unico uerbo eos liberare potuit conniuente. Miſerum ſpectaculū.

Iubileum Romani uiſitantes ſpoliantur atq; rapiunt. Cap. XXVIII.

ANno uero duodecimo Pontificatus dicti Bonifacij Galli aſſerentes tunc annum Iubileum ſecundum antiquam inſtitutionem eccleſiæ Romanæ, ad urbem cateruatim utriuſq; homines ſexus cauſa deuotionis in maxima multitudine penè per totum illum annum aduenerunt, quorum multi erant nobiles & egregiæ perſonæ, ac larga offertoria ad urbes & eccleſias attulerunt, ſed quia tandem pleriq; illorum in diſtrictu Romanorū & prope urbem rebus ſuis ſpoliati atq; male tractati, necnō aliquæ pulchræ mulieres & generoſæ in itinere uiolenter à noſtris ſtipendiarijs raptæ, necnon abductæ fuerunt. Ad nos pauci de partibus ultramontanis pro anni Iubilei in urbe conſequenda indulgentia peruenerūt, & tunc etiam peſtilentia incepit uigere in urbe, ſed ipſe Bonifacius quamuis deliberaſſet recreationis cauſa ab ipſa urbe tunc uelle abire, tamen timore dominij temporalis urbis eiuſdē, ne illud interim perderet etiam æſtiuo tempore remanſit, neq; aduenis illo periculoſo tēpore decumbentibus aliquam elemoſinam fecit, licet tūc in omnibus abundaret. Solitus enim erat rapere, nec rapta indigentibus communicare.

Cometa

Cometa apparuit, Vilhelmus Gelriæ & Ioannes Mediolani duces moriuntur, uexatur Italia. Tamberlani cũ Turcis conflictus atq; uictoria. Cap. XXIX.

ANno uero decimotertio Pontificatus Bonifacij circa tempus quadrageſimale continuo per XL. dies ſerotenus apparuit grandis cometa, cuius caput uerſus Italiam, & cauda protendebatur uerſus occidentem, unde paulo poſt eodem anno Vilhelmus dux Gelriæ ualde potens & ſtrenuus in partibus occidentis, & poſtea infra annum dictus Ioannes dux Mediolanenſis deceſſerunt, poſt cuius quidem ducis Mediolanenſis obitũ continuis guerris ipſa Lombardia in tantum concuſſa extitit, quòd etiam aliquæ magnæ ciuitates ibidem ſuis habitatoribus aut interfectis ſeu fugatis penè uacuæ remanſerunt, ſcilicet Cuma, Placentia, & Parma, interim deſtructis in eadem Lombardia multis eccleſijs, monaſterijs, & alijs pijs locis, ubi tunc etiam cedes hominum, deflorationes ſacrarum & aliarum uirginũ, ſtupra & adulteria, deprædationes, & alia mala innumera commiſſa fuerunt, illis qui ſe reges Romanorũ appellant tacentibus & diſſimulantibus, ac ſi res non tangeret ipſos.

Taberlanꝰ cum Baizeto Turcarũ imperatori belligerans uicit atq; occidit Baizetum, cuncta igne & ferro proſternit.

præterea eodem anno in æſtate maxima bella inter Tamerlanũ Tartarorum & Baizetum Turcorum ammiratos ſiue imperatores cõmiſſa fuerunt, ubi fortis impegit in fortem, & tandem Baizetus captus & interfectus per ipſum Tamerlanum extitit, licet Baizetus fuerit potentiſſimus, & ſub tributo ad minus Chriſtianorum x. magna dominia ſiue regna ſubiecta teneret. Et poſtq; Tamerlanus fuit uictor, Turciã hoſtiliter peruagando ferro & igne cuncta uaſtabat. Tunc temporis multi Chriſtiani, qui captiui in Turcia tenebãtur, adiutorio quorũdam Chriſtianorum in Pera prope Cõſtantinopolim habitantium nauali ſubſidio liberati fuerunt, & creditur quòd deus miſertus eorũ qui habitabant Conſtantinopoli & Pera, ac aliquibus terris propinquis, quas paulo ante Baizetus per octo annos cõtinue obſedit, & quaſi iam cepit. ſed audiens aduentum dicti Tamerlani ſoluit eandem obſidionem credens Tamerlano poſſe reſiſtere manuforti, ſed ſecũ pugnando defecit, ubi dicuntur plus quàm quingenta milia hominum pugnantium ſimul diebus multis in bello cecidiſſe, ac unus filiorum dicti Baizeti iunior ea tẽpeſtate deuenit ad manus imperatoris Græcorum, qui iam regit, & duo alij eius filij.

Maxima hominum ſtrages.

Tamerlanus Damaſcum capit ac diripit. Caput XXX.

Subſequenter

Vbſequenter etiam idem Tamerlanus Damaſcum nobiliſſimam Syriæ ciuitatem obſidendo demum cepit, quam pecunijs necnon melioribus & precioſioribus pānis, & bonis omnibus ſpoliatam ignis incēdio deuaſtauit, & ultra uiginti milia hominum iuuenum utriuſq; ſexus in diuerſis artibus mechanicis apprime inſtructorum ſecum abduxit ad Metropolitanam eius ciuitatem Semerkant nuncupatam, in finibus Perſarum & prope Indiam inferiorem conſiſtentem, quæ prius fuit parua, quam tamen ipſe ampliauit, & magnificauit in tantum, quòd in omnibus p̄cellit, ut dicitur, cæteras ciuitates in partibus orientis regnorum, & prouinciarum, quas ſuæ ditioni ſubiecit. Demum tamen deceſſit in ipſa. Hic etiam Tamerlanus pugnādo tunc cum Soldano Babiloniæ & quibuſdā ſuis ſatrapis primo prope Alapiam, & deinde in quibuſdam alijs locis inter Cariam, & Damaſcum, uicit eos, & Smirnam tūc fortiſſimum caſtrum in Græcia uicinum Turcorum dominio, quod erat hoſpitalis ſancti Ioannis Hieroſolimitani etiam ea tempeſtate ui deſtruendo ſolo coæquauit. Tamē quidam Cathalanus, qui pro eodem hoſpitali illius erat capitaneus, uexillum dicti Tamerlani ſuper illo collocare uoluiſſet, rogatu cuiuſdā Epiſcopi Chriſtiani illud nullatenus deſtruxiſſet, & quia dictus Cathalanus illud aut faſtu ſeu alias recuſauit facere, dictus Tamerlanus hoc ægre ferēs, & uim uiribus accumulans tandem dictum caſtrum cepit & deſtruxit totaliter, adeo quòd etiam ut ipſimet fratres dicti hoſpitalis aiunt, cum c. milia florenorum auri in ſtatum priſtinum reduci non poſſet. Et confugientes ad Meſquitas Machometi flamines numero quingenti & ultra cum Meſquita ſeu templo huiuſmodi concremauit etiam in Damaſco, de quo alij Saraceni hoc uidētes ammirati fuerunt, cum Tamerlanus eſſet illius ſectæ, quòd ſacerdotes & templa ipſius Machometi taliter deſtinaret igni, quod ipſe cōſiderans fertur dixiſſe, quòd deus ipſum miſiſſet ut malos Saracenos & falſos Chriſtianos cæde, & incendio deuaſtaret. Volens etiam ui capere tunc temporis Hieruſalem, impediebatur per brucos, qui eius exercitum adeo uexarūt per iter, quòd uerſus eandem ciuitatem ulterius ire non potuit, unde in Perſiam rediēs Suſam, quæ nunc uocatur Thaurisſium, & Baldach maximas ciuitates & omnes alias prouincias. c. & uiginti numero, quæ ut legitur in Heſter olim Aſſuero regi Perſarum ſubditæ fuerunt, ac multa alia regna in partibus orientalibus, & Aquilonibus, necnon etiam aliqua in Europa ſuæ ditioni ſubiecit. Audiui ab aliquibus, qui dictum Tamerlanum diu nouerunt, quòd habuit tres filias, quas in arte Magica fecit inſtrui, in qua mirabiliter profecerunt, quæ incantationes & exorzi-

Smirne arx muniti̧ſſima à Tamerlano deſtruitur.

Tamerlānus Machometi ſacerdotes ſimul cum templo flāmis tradidit.

Taberlani de ſeipſo iudicium atq; ſentētia.

Perſas ſubegit Tamerlanus.

Filie Tamerlani Magie peritæ.

ſationes & imagines cõtra prouincias, quas ſibi ſubijcere uoluit, facere conſueuerunt, quæ plerumq; effectum ſortitæ fuerunt. Nec de hoc miretur aliquis, quòd talia fieri poſſunt domino permittẽte, ſicut tradunt philoſophi, qui ſecreta naturæ rimati fuerunt, & in libro Iacobi Alkindi de Radijs doctiſſimi philoſophi luculenter apparet, qui inter alia multa ſic inquit: Verba enim cum omni ſolennitate prolata effectum habent & proprietatem mutandi omnia elementa in aliquam formam nouam, & hebetandi naturales ſuas formas, ne faciant quod per ſolitum ſuum curſum facturæ eſſent. Terra enim cum ſit naturaliter frigida, per uim uerborum calorem retinet. Aqua, quæ ponderoſa corpora per naturam ſuam intra ſe recipi permittit, per uim quorũdam uerborum natura iſta priuatur, & fit quod ferrum ſupernatat. Aër quoq; per uerba à flatibus ceſſat, & pluuia. ignis autem à combuſtibilibus abſtinet, & hoc eſt quòd ponderoſa corpora per aërem multotiens deferuntur præter ſolitũ curſum. naturæ leuia quoq; per uim uerborum deſcendunt, & fiunt fulgura, & coruſcationes, nubes, & tenebræ, & alia elementorum accidentia. Vnde Medeam de inſula Colchos quam Iaſon abduxit ueteres ſcripturæ loquuntur, quod ſuis incantationibus elementa mutabat, ſenes iuuenum uultus reſumere, ſeu iuueneſcere, ac ipſum Iaſonem uellus aureum rapere, boues eructãtes flammas igneas & mortiferas uincere faciebat. In adamante apparet quod ferro præſtat motum aſcendendi à centro cum ei applicatur.

Iacobus Alkindus philoſophus.

Vis naturæ immutatur per uerba.

Fabuloſa.

Igitur cum uoces ſignificatiuæ per impoſitionem hominum in modum perfectæ orationis coniunctæ proferuntur, in coniunctione tali multotiens ſortiuntur effectum per radios ſuos, quæ diſtinctæ prolatæ non habẽt. Sicut herbæ confectæ ex tali confectione alium conſecuntur effectum, quam non habent ſeparatim. Similiter quoq; & uoluntas hominis ex prolatione uerborum mutatur, ut appareat iſtud uerum quid per curſum uoluntatis. Sic principũ dilectio per uerborum prolationem acquiritur, & mulieres ad amorem aliquorum accẽduntur, & generaliter per uerba cum debita ſolẽnitate prolata mirãda fiunt, & multa in extraneum motum poſſunt tranſmutari. Ipſa etiã uerba uoluntatem accelerant. Hinc eſt, quòd ſcorpiones expelluntur per uerba à locis, ac lupi, leones, mures, & muſtelæ hoc modo uocantur ad aliquem locum, & expectant eorum capturam, quod pſalmiſta tangere uidetur loquẽdo de incantatore, ſeu uenefico ſapienter ſerpẽtes incantante. Vnde omnes homines ſenſu, & ratione uſi credunt preces deo factas ſibi & alijs proficere, & inde inoleuit ſolennis cõſuetudo apud deum homines orandi, & obſeruandi pro bonis habendis, & malis depellendis. Succedit autem effectus cum tempus & locus & aliæ

Mala conſecuto, quoniam claudicat ſimile.

Friuola imò aliena à fide.

Longe alia horum uerborum ratio.

aliæ circumſtantiæ ſuffragantur, ſed deſtituuntur effectu cum deeſt aliquid quod neceſſario exigitur, ut preces effectum ſortiantur. Vnde preces hominum deo porrectæ cum intenſo carent deſiderio & intentione obtinendi ſtudioſa fruſtrate reperiuntur, cum id quod intẽditur minime obtinetur in quantum ſenſu cognoſci poteſt, & hæc aliquando operantur effectum dummodo dicentis intẽtio aliquatenus ſuffragetur. Præterea cum obſecrationes proferuntur ad deum, etiã ab hominibus qui nullam ſunt dei cognitionem cõſecuti, dummodo obtinendi deſiderium affuerit, & ſpes, uel fides obtinendi. Verba ſic oblata habent ſuum effectum, licet de deo fidem nõ habeat, qui dixit uerba cum obtinendi uoluntate. deum enim nullus homo cognoſcere poteſt. Et huius exemplum habetur de Alexandro magno orante deum, quòd coniungeret montes Caſpios, in quibus includeret perpetuo Gog, & Magog peruerſas nationes, & exauditus eſt, beato Auguſtino teſtante. Orationes autem & obſecrationes ſunt ab hominibus circa caſus contingentes faciendæ deuotis mentibus, & intenſo deſiderio, & non carebunt effectu, licet quoad caſum in quo fiunt quandoq; non proficiant, ꝓſunt enĩ quoad aliquid nobis quibus ignorantia cauſarum opinionem contigentiæ facit. Cum itaq; obſecrationes fiunt ad deum ab hominibus deuotæ mentis, & profundi deſiderij cũ debita ſolennitate pro aliquo motu in ſubiecta materia inducendo, ſequitur optatus effectus, armonia in omnibus pro loco & tẽpore procreante. Non autem ſolum ad deum diriguntur obſecrationes, ſed etiam ad ſpiritus, qui aliquibus hominibus prodeſſe credunt. Licet eorum exiſtentia ſit imperceptibilis, credunt enim plures angelos eſſe ſubſtantias incorporeas habentes poteſtatem faciẽdi motus in rebus elementatis, credunt etiam aliquos homines à corpore ſolutos ſpiritualem exiſtentiam retinere, & quandoq; motus facere in hoc mũdo, aut ad hoc faciendum effectusq; hominum precibus induci. Sicut periclitari timentes in mari inuocant ſanctum Nicolaum, & incarcerati ſanctum Leonardum, ut eos liberent à periculo maris & carceribus. Præterea multi uiderunt ignitum ferrum innocentis manibus uirtutem adurendi protinus amittere, nec portanti nocere, ſed quomodo niſi potentia diuina ad orationes illius, cum intenſo deſiderio flexa, quòd nemo prudens aut diſcretus ignorat. Igitur ſi malus ille miles, de quo ſuperius fuit mentio, potuit incantare, & per incantationes imbellem efficere exercitum domini Ottonis ducis Brunſuicenſis, & mouere aërem ad mittendum uentos ualidos in facies eorum, qui in ipſo fuerunt exercitu, ut aduerſarios nec recte uidere, neq; illis uim ui repellendo prout tunc contigit reſiſtere poſſent, ſed cum poſtea exer-

Supplicationes ad deum quam uim habeãt

Vis Magiæ

citum ſupradicti ducis Andegauenſis ſimilibus exorzicationibus,& incantationibus ut exiſtentes in eodem exercitu uim pugnandi amitterent, conaretur inficere, antequam rem ipſam perageret diuina permiſſione comprehenſus, uiuus ipſe incantator flamma combuſtus apud exercitum antedictum ad inſtar magiſtri ſui Stara, qui aliàs dicitur Zoroaſtes filij Cham, qui quidem Stara artis ipſius Magicæ primus inuentor, cũ dæmones ſuis incantationibus ſæpius inuocaret, tandẽ igne cœleſti per eos quos taliter inuocabat ſuccenſus diſparuit, quem tamen extunc in illa ætate quidam rudes hominũ pro deo coluerunt. Et de iſto Tamerlano aliqui dicere uolunt, quòd quidã ſanctus Gregorius, non ille Romanus Pontifex, ſed alter prædixit illa magnifica facta & bella quæ fecit, & addidit quòd infra pauca tẽpora poſt eiuſdem Tamerlani obitum ceſſaret ſecta dicti Machometi, & Chriſtiani illas partes recuperare deberent, quòd multi Chriſtiani exiſtẽtes in illis partibus anxie præſtolantur, ſed fruſtra ut timeo, quia nulla diſpoſitio apparet quoad hoc apud noſtros, & forte raro uel nũquam inter Chriſtianos plures diuiſiones uiſæ ſunt quàm uigent præſentialiter tam in ſacerdotio, quàm in regno.

De ſignis atque prodigijs, quæ præceſſerunt Bonifacij mortem, & de morte Franciſci nepotis Vrbani Pontificis. Caput XXXI.

ILla etiam æſtate ante obitum dicti Bonifacij quandoque tempeſtates horrendiſſimæ, uenti ualidi, grandines, tonitrua & chorufcationes apparuerunt in urbe, nam quadam nocte quoddam nouum ædificium, quod ipſe Bonifacius magnis quadratis lapidibus multũ ſumptuoſe inceperat conſtrui facere, in qua Papa pro tempore benedictionẽ daret populo, in eius ſummitate uentorũ impetu concuſſum, necnon aſſeres & ligna ſuper quibus artifices operabantur impetu uentorum deducta, necnon etiam fortiſſima pinnacula & pars murorum caſtri ſancti Angeli in ſuperficie in terram proiecta, & multa alia damna commiſſa fuerunt. Item alia quadam nocte de ſero uſque ad mane uehementiſſime chorufcationes apparuerunt in urbe, ita quòd Curiales & urbicolæ uehementer ſtupefacti ſubitam urbi ſubuerſionem imminere timuerunt, & decimo anno ſui Põtificatus circa quadrageſimam terræmotus fuit per totam urbem, qui tamen nulli nocuit, ſed timorem magnum intulit ipſo Bonifacio diſſimulante, imò etiam approbante, quidam ſui Cardinales & Epiſcopi Curiales uenationibus intenti, alijſque uanitatibus

dediti

dediti fuerunt, ex quibus Papa & ſui Cardinales atq; Curiales longe lateq; diffamabantur, & in parabolam atq; ludibrium hominum deuenerunt. Et etiam tunc uidelicet nono anno Pontificatus Bonifacij Leodienſes ab obedientia Bonifacij recedentes, cum eorum electo ad huc eis præſidente (de quo multa dicentur inferius) neutrales facti fuerunt, ſed poſtea ſurrogato Innocentio VII. de quo dicturus ſum Bonifacio defuncto ad eandem obedientiam ſub diuerſis multum à iure, & ratione exorbitantibus conditionibus redierunt. Huius etiam Bonifacij Pontificatus anno ſexto præfatus Franciſcus nepos eiuſdem Vrbani, de quo ſuperius recitauit hiſtoria, qui apud Raymundũ de Baucio poſt obitum Vrbani remanſerat quadam die, cum in Curia dicti Raymundi circa coream nobilium ſtaret illam inſpiciẽdo, poſt horam ſolus intrauit cameram in qua dormire conſueuit, & fortiter clamando cum cultello plura ſibi uulnera inflixit, quod cum audirent nonnulli in prædictam cameram ſubito irrumpentes, ipſum iacentẽ in terra & uociferantem necnon ſanguinolentum repererunt. Vnde prædictus dominus Raymundus dolens uehementer, dictum Franciſcum apud ſe noluit diutius retinere. Tandẽ Raymundus & Franciſcus inter ſe tractatus faciẽtes, ſcilicet quòd comitatus Alti muri, quẽ Franciſcus tunc habebat, domino Raymũdo hæreditarie remaneret pro XII. milibus florenorum & certa penſione annua dicto Franciſco quoad uiueret per Raymundum ſuosq; hæredes miniſtranda. Quo facto dictus Franciſcus cum eius matre necnõ filio & filia atq; XVIII. miniſtris utriuſq; ſexus per mare nauigando cauſa eundi Venetias & ibidem morandi prope Brunduſiũ in Apulia maris ſuperuenientis tempeſtate naui in qua nauigabãt ſubuerſa, omnes qui in ipſa erãt ſubito in aquarũ fluctibus perierunt, & ſic tota poſteritas eiuſdẽ Vrbani ui finita eſt, marinis fluctibus diuino iudicio uindictã repetẽte.

Diſputatio de Pontificis ſymonia, & an illi liceat uendere ſacerdotia. Caput XXXII.

MVlti etiam periti in iure propter cõtinuationes ſymoniæ in Romana Curia tempore dicti Bonifacij publice arguerẽt, atq; tenere uolebant, quòd Papa ſymoniam committere non poſſet etiam in beneficijs, ſeu rebus eccleſiaſticis intercedẽte pecuniario quæſtu, ſeu pacto, quod & mihi uidebatur ſatis iniuſtum, cum ſaltem inciuile ſit & contra bonos mores, ſi quod dignis gratis dari debet, ob uilem pecuniarium quæſtum concedatur indignis, quodq; Papa, qui omnibus præeſt, à quo cæteri uiuendi

normam capere debent, ſic tali crimine ſordidatus, profecto cum aliũ punire non poſſet in eo, in quo ipſe deliquit, quia turpe eſt doctori cum culpa redarguit ipſum. Ex hoc etiam apud uulgares multum uileſcit & uituperatur Papalis authoritas & diffamatur, unde quidam imperator dixit illum eſſe Chriſti uicarium & Petri ſucceſſorem ac diſpenſatorem animarum fidelium. Indignum fatemur, non ob dignitatis iniuriam, ſed ob perſonæ defectum, qui diſpenſationes cum fratrum deliberatione maxima faciendas in camera ſua more mercatorũ exiſtens ipſe bullator, ſcriptor, & forſan numerator, & talis fuit ſine uerecundia antedictus Bonifacius. Viuente eodem quidam integri magiſtri in ſacra Theologia & alij in ſcientijs illuminati, dolentes ita communiter & aperte ſymoniam committi in Curia, & quod ſic fieri poſſet multis Iuriſtis, & alijs pertinaciter aſſerentibus, in contrarium arguendo, & concluſiones in quaternas & codices redigendo determinarunt, licet ſub magno timore, quòd Papa uendendo eccleſiaſtica beneficia ex pacto intercedente ſymoniacus eſſet, quia nõ foret conſtitutus ut illa uenderet, ſed ut dignis gratuito diſpenſaret.

De Petri Lunenſis, qui poſt Benedictus uocatur, patria, uita, & moribus ante Pontificatum, deq; electione eiuſdem, & iuramentis Cardinalium ante electionem præſtitis. Item quo pacto idem Petrus religionem iuriſiurandi eluſerit. Item principes Germani ſuper ſchiſmate conſultant; Caput XXXIII.

Nunc uero ad prædictum Petrum de Luna me conuertens tangam pauca de ipſo, quem uidi in monte Peſſulano (iã ſunt. XXXVI. anni uel circiter) legentem in iure canonico, de regno Aragoniæ, de Baronibus ut laborat fama ortus, breuis ſtaturæ ac gracilis, homo ingenioſus, & ad inueniendi res nouas ualde ſubtilis, hũc legentẽ tũc in Iure, ut præfertur, præfatus Gregorius Papa creauit Cardinalem, qui tunc ſatis diligebatur à multis eo quòd peritus, & uirtuoſus exiſteret, à pluribus laudabatur, qui cũ eodem Papa Gregorio Romam ueniens, ac in palatio apud eccleſiã ſancti Appollinaris prope turrim ſanguineam morando illud in breui tempore ſumptibus proprijs notabiliter reformauit; ſed tempore ſchiſmatis per eundem Clementem factus Legatus in Aragonum, & Hiſpaniæ regnis diu remanſit, etiam ſæpe contra ipſum Robertum, quòd ad unionem eccleſiæ intendere non curaret, atq; in hoc male faceret, multaq; ſimilia etiam coram regibus & principibus, necnõ eccleſiaſticis

ſiaſticis prælatis clero & populo publice prædicabat, colligens tamē fragmenta ne perirent & pecunias abundanter in illis. Miſſus etiam Pariſius idem Petrus, per præfatum Clementem ad regem Francorū & uniuerſitatem ſtudij Pariſienſis, in eius ſermonibus & actibus ſemper innuit, quòd ſi ipſe dicto Roberto poſtquam decederet in eius obedientia ſuccederet, modis omnibus unionē in uniuerſali eccleſia facere uellet, oſtendens ſe ualde ad hoc inclinatum. Quamobrem poſtea defuncto Clemente, ſui Cardinales credentes, quòd Petrus corde gereret ſicut ore prius dixiſſet, eo prætextu in loco dicti Clementis ſurrogandum elegerunt, ſed antequam ad eandem electionem procederēt, uouerunt & iurarunt ipſi Cardinales & Petrus, quòd ille qui ex ipſis eligeretur, ad requiſitionem ipſorum Cardinalium, dum ipſis hoc uideretur expedire, ſuo Papatui cedere deberet, dum tamen etiam Papa alterius obedientiæ cederet ſuo Papatui (ut ſic dicam) cum duos ſimul ſummos Pontifices concurrere ius & ratio nō permittant. Vnde ipſo tali cōditione dicto Clemente ſurrogato, eius Cardinales, rex Francorum & multi principes de partibus Galliæ ſollicite monuerunt quoſdam de electoribus, ut ſimul cū Bonifacio partes ſuas intuitu fidei efficaciter interponere uellēt, ut & idem Bonifacius ſuo Papatui cederet, adhoc quòd ipſa unio ſequeretur, & reportantes ſuper hoc ab eiſdem electoribus reſponſionem eis gratam, illa tamen adiecta conditione quòd ante omnia dictus Petrus cederet ut iurauerat ſe facturū. Dum ipſi Cardinales & quidam alij proceres de Francia requirerent ipſum quòd Papatui cederet, eis reſpōdit, quod id facere nō teneretur, quaſi ex eo maxima toti Chriſtianitati ex hoc diſpendia imminerent, ac ſuper huiuſmodi petitis ab ipſo, & ad ea reſponſum factis multa confecta fuerunt publica inſtrumenta, & per Galliam, Alemaniam & alibi in diuerſis regionibus publicata. Interim etiam magnum conſilium principum in Franckfordia Maguntinenſi dioceſi uernali tempore ſuper eadem materia fuerat celebratum, uidelicet Pontificatus dicti Bonifacij anno octauo menſe Aprili, ad quod etiam Vniuerſitas ipſa Pariſienſis & multi reges & principes ſuos nuncios deſtinarunt, qui per XII. dies in huiuſmodi conſilijs remanſerunt, ſed quidam Gallici magnates renitentem cedere Petrum diutina obſidione conſtrinxerunt in Palatio Auinionenſi, demum ipſum ceperunt, & per trienniū captiuum detinuerunt in eodem palatio, ad hoc quòd ſi ſponte nollet ui ad cedendum dicto ſuo Papatui cedere cogeretur, dummodo præfatus Bonifacius etiā cederet ſuo Papatui, ut præfertur, & interim eidem Benedicto ſiue Petro Gallici obedientiam ſubtraxerunt. Ipſe autem Bonifacius nuncios ſibi ſuper hoc ex huiuſmodi principibus

Franckfordiæ conſultāt de ſchiſmate principes.

Petrus Auinione obſidetur.

Alemaniæ deſtinatos, cum quibus etiam erant nuncij tunc regis Angliæ, uerbis tenuit, ita quòd ab eo certum reſponſum ſuper hoc finaliter non habebant, quos demum corrupit quibuſdam gratijs anormalis, quas ꝓ ſe ſuiſq; habere uolebāt, ſicq; impeditos uel taliter qualiter expeditos ad propria redire permiſit, negotio ceſſionis pro quo ad eum uenerunt in primis terminis remanente. Hoc potiſſime cōtigit ex eo, quia præfatus dominus Venceslaus rex Boëmiæ rogatus per principes, ut in fauorem catholicæ fidei ad ipſos etiā Franckfordiā tunc ueniret, licet publicaſſet, ac etiam promiſiſſet quòd ſic facere uellet, illuc tamen uenire neglexit. præfatus uero Bonifacius multū ægre tulit, quòd dicti principes eum hortabantur ad cedendum, & libēter eis propterea nocuiſſet, ſi colore aliquo potuiſſet, quod tamen dicti principes æquanimiter tolerarūt, & poſt hoc iterum ipſum aliqui de prædictis principibus literis eorum exhortati fuerunt, ut ceſſaret ab illis, neutralitatem (ſi perſeueraret in talibus) comminantes. Vnde poſtea in publico conſiſtorio declarabat, quòd de cætero tales gratias ſub diem obitus facere nollet, & ſi faceret nō ualerent, & gratias prius in talibus factas per ipſum palliauit. Videntes autem dicti Cardinales, & magnates Gallici, quòd præfati principes Alemaniæ cum Bonifacio ut cederet effectualiter proficere non poterant, & ſi præfatū Petrum ſolum ad cedendum eius Papatui ſe fruſtra uexare amplius detinere, ipſum ab eadem captiuitate liberarunt cooperante ſibi in hoc multum præfato duce Aurelatenſi, & liberatum ad ſtatum priſtinum poſuerunt, ſibiq; uſq; tunc ſubtractam per eos obedientiam reſtituendo. Secundario etiam ipſi Gallici præfato Petro huiuſmodi obedientiam ſubtraxerunt tempore Pontificatus Angeli Corarij, dū dictus Petrus ſtaret in portu Veneris Ianuenſis diœceſis, & ad faciendā unionem in uniuerſali eccleſia ſe nimis redderet difficilem, & moroſum, quæ inferius ſuo loco latius apparebunt. Præterea licet dictus Petrus de Luna grauitatem Pōtificalis officij, & quid ageret ipſo Bonifacio longe melius intelligeret, tamen forte ſuorum Cardinalium & Curialium importunitate multas ualde anormalas & exorbitantes beneficiales & alias gratias, necnon exemptiones & uniones eccleſiaſticorum beneficiorum, ac diſpenſationes ad obediendum plura incompatibilia indulgētias, quorum & peccatorum remiſſiones & ſimiles conceſſiones anormalas fecit, ſequendo in hoc dictum Bonifacium, iuxta illud: Si uidebas furem currere, currebas cum illo, multos etiam de noſtra obedientia ad obediendū ſibi, quibus potuit uijs & modis induxit, multorum etiam pinguiū ſuæ obedientiæ beneficiorum fructus ſibi continue reſeruando, quos toto tempore ſui Pontificatus in uſus

Vide aſtutiam Bonifacij nuncios beneficijs faſcinans.

Benedictus rurſus libertati reſtitutus.

Benedictus paulatim ad ſuorum mores ſe cōfert atq; componit.

proprios diſpenſauit, fuit tamen aliquantulum prouidus in creandis ſuis officialibus & faciendis gratijs, quàm erat ſuus prædeceſſor Clemens VII, qui tanq̃ prodigus non ſciuit quicq̃ petentibus denegare.

Rurſus de morte & funere Bonifacij, & de his quæ contigerunt in urbe inter Guelphos, & Gibellinos.
Caput XXXIIII.

Mortuo igitur dicto Bonifacio funus eius ſatis humiliter in præfata Baſilica principis apoſtolorum in capella coniuncta capellæ dicti Gregorij Papæ ad dexteram, dũ itur ad altare beati Gregorij Papæ, & prope ſepulchrum Gregorij Papæ v. minoris Gregorij (propter largas eleemoſinas, & alia bona opera quibus claruit appellati, & fuit Saxo natione) ſepeliebatur, ſed interim quòd dictus dominus Ladislaus rex imperiũ tenuit Romanũ, magnũ & precioſum ualde monumentum dicti fratres eiuſdẽ Bonifacij ſibi in eadem capella conſtrui fecerunt, præfatiq́ Cardinales noſtræ obedientiæ poſt obitum dicti Bonifacij conclaue cauſa eligendi nouum Pontificem ſubintrarunt, & elegerunt demum Innocẽtium huius nominis VII. quo facto in urbe magna diſſenſio inter ciues Romanos orta fuit, quia illi de parte Gibellina uoluerunt recuperare ſtatum libertatis, & regiminis dictæ urbis prout penes populũ & quoſdam Banderenſes erat, anteq̃ prædicto Bonifacio traderetur, cooperantibus ipſis in hoc dominis Nicolao, & Ioanne de Columna prædictis fratribus, & Baptiſta de Sabellis, necnon quibuſdam alijs Baronibus de ipſa urbe oriundis de Gibellina, qui etiam circa urbem ipſam multa caſtra, & alia loca munita tunc tẽporis poſſidebant. Pars uero Guelpha & qui fouebant eis de Vrſinis, multiq́ potentes in hoc prædictis eorum conciuibus uiriliter reſiſtebant, aſſerentes expedire communitati, quod urbicolæ per eccleſiam & non per ciues regerent. Interim Gibellini traxerunt in auxiliũ dictũ regem Ladislaũ, & pluribus diebus una pars contra aliam tũc in urbe periculoſe pugnabãt, ubi etiam pleriq́ interfecti ceciderunt, & multa mala fiebant tunc in urbe, ſcilicet uiolentiæ, ſtupra, & adulteria, & his ſimilia impune, qua tempeſtate Innocentius, qui ſecundum annum ſui Pontificatus ferè compleuit eligebatur in Papam, cuius primus annus ſui Pontificatus fuit purgatorius multorum malorum prius in Romana Curia commiſſorum, in illo enim ſupradictus Cardinalis Monopolitanus ſummus pœnitẽtiarius, & aliqui inſignes ſymoniaci, & ultra modum talibus lucris locupletati, quaſi repentina morte corruerunt, & quædam

Bonifacius moritur anno 1404.

Guelphi & Gibellini.

Exitus ſymoniacorũ miſerãdus.

alia innouata fuerunt, quæ per ordinem inferius deſcribentur, ſed ante huiuſmodi electionem ipſe Innocentius tunc Coſmarus tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalē presbyter Cardinalis, ac ipſum eligentes prædicti ſui Cardinales ſponte iurarunt, & uouerunt, quòd quicūq; ipſorum eligeretur in papam ad hoc, quòd dicta unio fieret, eius Papatui pure & ſponte cedere deberet, dum tamen dictus Petrus de Luna etiā ſuo Papatui ſponte cedere uellet.

Geſta à Ladislao Romæ inter dictas Italiæ factiones, & quæ circa coronationem eiuſdem contigerunt. Caput XXXV.

Præfatusq; Ladislaus rex hæc percipiens, nec forte multū de uotis & iuramentis huiuſmodi contentus, acceſſit ad urbem ipſam cum grandi exercitu, cuius dominium ut dicebatur ſibi tunc uendicare uolebat, petente parte Gibellina ab eodem nouo Papa, ut dominium temporale, necnon caſtra & munitiones ad eandem urbem pertinentia libere eidem Romano populo relaxaret, ſed cum Papa ſuiq; Cardinales multis per eos rationibus allegatis facere denegarēt, magna ſubito inter Papam & Cardinales ex una parte, & talia petentes ex altera, controuerſia orta fuit, ita quòd Papa & Cardinales timentes rumorem popularem imminere, quendam Muſchardam magnum capitaneum eccleſiæ cum uigoroſo exercitu urbem pro ipſorum cuſtodia uenire fecerunt, qui tamen contra tantam multitudinem alterius partis non poterat præualere. Quod uidens Innocentius præfatum regem ſic placare ſtuduit, nam ei prædictam Campaniam etiam maritimam ad certos annos conceſſit gubernandam, quibus habitis rex cōſtituit ſe arbitrum inter Papam, & partem Gibellinam, ordinando parum utiliter pro eccleſia ſic, quòd dicta pars Gibellina illo prætextu capitolium pro ſe recepit, & ibi tātum de ſale tempore dicti Bonifacij recollecto inuenit, ad cameram apoſtolicam pertinente ratione dicti dominij temporalis, quòd eius ualor ultra uiginti milia florenorum auri aſcendebat, quod pars Gibellina & aliqui potentes Romani de illa factione ſuis priuatis uſibus attraxerunt, atq; Capitolium pro ſe diu tenuerunt, quia regimen dictæ urbis eidem parti Gibellinæ ſub certa modificatione rex aſſignare uoluit, tamen quòd officiales ſiue regentes urbem officia ſua à Papa acceptare deberent, necnon aliquos pontes, & portas intus & extra eandem urbem ad Papam tunc pertinentia ipſe rex in eodē arbitrio Papæ adiudicauit. Quo facto quēdam plebeum diuitem ciuem Romanum

manum rex ipſe creauit in militem ad cumulum lætitiæ dictæ partis Gibellinæ, poſtea in urbe ipſa ut clarius dicetur inferius turpiter decollatum, & etiam aliquibus damnis pleriſq; ciuibus & incolis urbis per gentes armigeras regis illatis. Erãt enim armis ac uictualibus non ſatis muniti huiuſmodi armigeri, ipſe rex cum eius exercitu ad propria remeauit. Tamen Innocentius cum magna lætitia & frequẽtia Romani populi atq; Curialium ſuæ coronationis ante ipſam Baſilicam principis apoſtolorum recepit inſignia, & ad eccleſiam Lateranenſem eadem die ut moris eſt accedens, nec morã ibi faciens ipſa die rediјt ad palatium ſuum apud præfatam Baſilicam conſiſtens. *Ladislaus coronatur.*

De inſolentia VII. uirorum in Innocentium Pontificem, ac de miſeranda cæde illorum, & de tumultu uulgi in clericos. Caput XXXVI.

ET quia dicitur, cum ſeruo nequã palmus datur, accipit ulnam, dicti regentes ſeu officiales, qui tunc eandem urbem rexerunt VII. numero de ipſa parte Gibellina uiri prudẽtes nuncupati (nomine tantum non ſignificatione, ſeu exiſtentia ut exitus acta probauit, non uſq; quaq; obſeruantes domino Papa pacta, quæ præfatus rex Ladislaus fecerat inter partes) ipſum Innocentium de die in diem multipliciter infeſtabant, modo illud, nunc aliud habere uolentes ab ipſo. Sed Ioannes de Columna non lõge ab urbe interim continue habuit magnum numerum armigerorũ in ſubſidium tunc regentium de parte ſua in urbe, & in odium Papæ & Cardinalium ac Curialium, fingens partes Petri de Luna ſe fauere, ut orta demum diuiſione grandi inter eaſdem partes urbem uiolenter intrare atq; Papam, Cardinales, & Curiales prædictos ui opprimere poſſet. Ipſe uero Innocentius qui fuit uir pacificus, mitis & ꝓbus, unde quantum potuit eiſdem regentibus complacuit, credidit enim in bono uincere malum, ſed breuiter in his omnibus non profecit, quem continuo iniuſtis petitionibus uexarunt, quamobrem dum iterum ab eo quædam ex præconcepta malicia non concedenda peterent, irato animo reſpondit eis dicens, nunquid omnia feci quæ uoluiſtis, & quid amplius uobis facere poſſum, niſi uelitis & hunc quem geſto mantellũ? Volens per hoc innuere, quòd in tantum eum uexarent, quòd citius Papatui cederet, q̃ tot ab eis uellet moleſtias ſuſtinere, & in ſumma per eum ad rationem flecti non poterant ullo modo, quin de die in diem magis ipſum diuerſis exquiſitis coloribus moleſtarent, unde coactus fuit ſemper pro cuſtodia ſuæ perſonæ *Innocentius nomine & re ipſa.*

& ſibi aſſiſtentium dictum capitaneum cum grandi exercitu armigerorum in eodem Burgo tenere illa tempeſtate durante, & plus expendere tenendo illos armigeros, quàm emolumenta ualebant, quæ ſibi ex Papatu forſitan obuenerunt. Vnde his durantibus Papa & Cardinales & Curiales de ipſis regentibus nõ mediocriter dubitabãt. Tandem Innocentius credens induratos animos eorundem importunorum ciuium per magna ſaltem beneficia emollire, multos creauit Cardinales, inter quos erant Errorius de quo ſuo loco dicetur, & quinque Cardinales Romani, quorum aliquos de altiori & reliquos de mediocri ſtatu recepit, quorum adhuc quatuor ſunt nobiſcum, nec per hoc adamantina corda ipſorum regentium urbem tunc temporis flectere potuit, ut ab eius infeſtatione ceſſarent, quia latebat anguis in herba. Ipſe namque rex Ladislaus deſiderans ardenter dominari Romanis, dictos regentes & multos maiores de populo, qui Caualratte nũcupantur, corrupit pecunia, ut ſibi aſſiſterent, quòd dominium ipſius urbis quomodolibet ſortiretur, & hos corruptos reliquum uulgus propterea multum habebat exoſos, & prouiſionatos nominabat. Et hæc durabant uſque ad quintam diem menſis Auguſti, & interim ſemper erat cum competenti exercitu ipſe Muſcharda in Burgo ad cuſtodiam Papæ & ſuorum Cardinalium. Innocentius uero habebat tunc quendam patruelem natum fratris eius nomine Ludouicum de Melioratis, ætatis xxx. annorum uel circa laicum temerarium, & audacem, qui iam factus armiger ſæpedicto Muſchardo capitaneo ſe coniunxit, & multum ægre ferens, quòd Innocentius per dictos regentes tam improbe tractabatur, unde contigit quòd eadem quinta die menſis Auguſti mane dicti regentes urbis comitantibus quibuſdam alijs Romanis, tamen paucis, qui in his non erant culpabiles, ad prædictũ palatium ut cum Innocentio (uti dicebant) amicabiliter concordarẽt acceſſerunt, & poſtque cum Innocentio multa locuti fuerunt, nec effectiuam concluſionem recepiſſent, circa horam prandij de palatio cũ quibuſdam Cardinalibus recedẽtes, per ipſum Burgum prope hoſpitale ſancti ſpiritus in Saxia equitarẽt, tunc ipſe Ludouicus per ſuos ſatellites armatos eos capi, & ad ſe fecit uiolenter adduci, ac mox ex eis undecim ueſtibus in quadã camera denudatis mactauit, & exangues de alto ad terram adhuc palpitantes projci fecit, ubi uſque ad ueſperas illa die nuda cadauera iacuerunt. Et duodecimus, qui erat cõſobrinus cuiuſdam ex noſtris Cardinalibus iamiam necandus cum alijs, dicti Cardinalis ſuperuenientis opportunis precibus mortem uix euaſit, & ſubito poſt hoc circa horam nonam rumor inualuit in urbe de morte huiuſmodi occiſorum, unde reliqui regentes qui euaſerant, contra

Truculentia Ludouici nepotis.

Tumultus popularis in urbe contra Curiales.

Papam

Papam, Cardinales & Curiales populum cōcitarunt cum crebris pulſationibus campanæ in Capitolio ſolitæ pulſari cum Romani contra hoſtes ſuos ire conſueuerunt ad bella. Et quia multi ſemper fuerūt & ſunt in urbe rapaces, amicitiæ & honori lucra præponentes, mox cateruatim ad domos & hoſpicia Curialiū multorū ruentes, illa ſpoliarunt, & etiam multos ex Curialibus uenerabiles uiros ceperunt ac captiuos irreuerenter & inhoneſte ad Capitolium perduxerunt, aliquos eorum baculando, & nonnullis prælatis ueſtes quibus induti fuerāt beluino impetu laniando, quos captiuos in publicis carceribus ad inſtar malefactorum diu non abſq; ſummo ipſorum captiuorum periculo detinuerunt. quid plura? maximus timor inuaſit ea die Curiales, quia uix ſalutis ſpem habebant. Sed & ipſi Papa, & Cardinalibus atq; alij pauci tamen Curiales cum eis ab urbe fugientes in feruore diei & æſtus uerſus Viterbium iter egerunt, ſed ſiti adeo anguſtiati multi fuerunt, quod & Papa ſiti tunc uexatus mortē uix euaſit, ac XXX. uel circa de comitatu Papæ præ ſitis anguſtia deceſſerunt, & prope Papam inter Romam & Sutrium tranſeuntem, Abbatem monaſterij ſancti Petri Peruſinenſis quidam ſtipendiarij interfecerunt, & unus ex huiuſmodi ſtipendiarijs uolens ui auferre cuidam Curiali poculum, quod cum potu manu geſtabat, Curialem ipſum interfecit Papa uidente, & cadauera eorum, qui in uia deceſſerunt, inhumata ibidem in campis diutius remanſerunt, ita quod eis congrueret illud Cœlo tegitur qui nō habet urnam. Cumq; Papa perueniſſet ad Viterbium infra paucos dies, q̄ plures etiam ex dictis Curialibus credētes ſe potu refocillari & uina frigida immoderate bibentes moriebantur. Sed illi, qui remanſerunt in urbe Curiales continuo in magno periculo & timore ſteterunt eadem die poſt fugam ſeu receſſum dicti Innocentij. Tunc præfatus Ioannes de Columna cum ſuis armigeris dictum Burgum intrauit, & in eodem palatio quaſi per XX. dies ſtetit, à populo Ioannes XXIII. ironice appellatus. Cuius armigeri ac multi Romani & plebei accedentes ad prædictum palatium, & hoſpitia ac cameras illi contiguas Papæ & Curialium multos libros in Regeſto ſupplicationum & literarum Papalium repertos deportarunt, & literas bullatas & aliqua regiſtra ſupplicationum & literarum Papalium laniarunt, & de theſauraria Papali ultra L. uolumina librorū exportarunt. Quæ tamen poſtea tractu temporis cameræ dicti Innocentij pro maiori parte reſtituta fuerunt, & quis poſſet tot crudelitates & tāta maleficia, quæ tunc fiebant in urbe ſatis enarrare? At ipſi regentes multum de occiſione ſuorum conciuium dolentes, queruloſas & doloſas epiſtolas contra Innocentium & Ludouicum ad diuerſos domi-

nos & multarum ciuitatum communitates direxerunt. Inſignia dicti Innocentij ubicunque depicta deleuerunt, aut cum luto turpiter maculari fecerunt, comminando quod uellent omnino unionem eccleſiæ procurare, ac deinceps dicto Innocentio nullo modo obedire, nec ipſum in Papam habere uel reputare, multaque magnalia ſe facturos exiſtimabāt, ad quæ perficiēda eorū uires ſe nullatenus extendebāt.

De conflictu militum Ladislai & partium Innocentij ad pontem ſancti Angeli. Item alia de mutatione ſtatus ac regiminis urbis Romæ. Cap. XXXVII.

CVm hæc per multos dies agerentur in urbe me ibidem cōtinue exiſtente, præfatus rex Ladislaus cogitans forte quod bonum eſſet aquis turbidis piſcari ſcientibus artem, inſtituit tunc Romanorum dominium pro ſe capere, præfato Ioanne de Columna & pleriſque tunc regentibus eandem urbem ciuibus lucri cauſa in hoc cōſpirantibus, propter quod rex infra dies paucos comitem Troienum cum decenti armatorum comitiua in ſubſidium Ioannis & regentium præfatorum, quòd dominium pro ipſo rege per eos caperetur, deſtinauit ad urbē ipſam, qui introiuit duobus de prædictis regentibus & quondam Ricardo de Sanguineis Romano ad latus comitantibus, ſed cum prope eccleſiam ſancti Celſi uenirent, multi occurrebant eis Forenſes adhuc ibidem exiſtentes, ac etiā quidam ciues Romani, quibus non erat gratus aduentus comitis memorati, quod ipſe paruipendens, nec ibidem pauſare diu præſumens per pontem ſancti Angeli ſuper Tiberi ad dictum Burgū ſancti Angeli accelerat, ſed ſubito ipſe & dictus Ioannes de Columna & plerique alij capitanei, ac complices eorum ſe armarunt, & dimiſſis ipſorum equis in eodem Burgo, per dictum pontem in magno numero, ſcilicet trium milium ut dicebatur bene armatorum habentium lanceas ſingulariter ſinguli per eundem pontem redierunt, ſed noſtris fortiter reſiſtentibus cum baliſtis, & lapidibus, necnon obſtruentibus pedem dicti pontis cum uaſis & aſſeribus ne ulterius progredi poſſent. Vnde combuſtis demum per ipſos regis amicos quibuſdam caſellis mercatorum in eodem ponte conſiſtentibus circa crepuſculū ueſpertinum eadem die ad dictum Burgum reuerſi fuerunt, ſed interim uici urbis circa pontē fortibus repagulis uſque ad Campum Florū per ciues Romanos muniebantur ubique, ita quòd etiam tūc rex ipſe Ladislaus ad conſequendum huiuſmodi temporale dominium Romanū non profecit, ſed ipſorum Romanorum animos contra ſe fortius prouocabat.

uocabat. Et his peractis die immediate ſequenti penè totus populus in hac ſententia concors remanſit, quod præfatum dominium temporale ad regem Ladislaum nunquam deuenire deberet, aſſerentes quòd omnia mala citius pati uellent quam ei ſubeſſe, ipſosque officiales, & regentes per triduum in eodem Capitolio continue obſederūt, qui obſeſſi credebant, quòd pars dicti regis infallibiliter præualeret, cum etiam tunc capitaneus dicti caſtri ſancti Angeli partem foueret regis, ipſeque rex tam grandem exercitum haberet in Burgo antedicto, & per faculas ardentes de nocte illi in Capitolio & alij in caſtro exiſtētes mutuo ſibi ſigna dedere, ſed fruſtra, quia nimis tunc præualuit contra eos cōcordia ciuiū. Vnde ipſi in Capitolio circumuallati tandem tradiderunt Capitolium ſaluis perſonis & rebus eorum, quod populus libenter acceptauit. Et habito per populum Capitolio priores officiales deſtituerunt, & eis tres regentes, quos bonos uiros appellarunt, in eodē regimine ſurrogarunt, qui conſultius & mitius agentes cum captiuis & detentis Curialibus in Capitolio ipſos cum bono moderamine à captiuitate huiuſmodi liberarunt, inter quos erant patriarcha Grandenſis, qui infra paucos dies poſtea deceſſit, Narniēſis, & quidam alij Epiſcopi, necnon plures magnæ authoritatis uiri, forſan L. numero, qui omnes fuerunt Curiales, bona uero ipſis oblata Curialibus ubilibet per urbem tunc temporis per Romanos procurantibus & diſponentibus tribus regentibus præter ſpem omnium magna ex parte reſtituebantur illis, quibus ablata fuerunt, & hoc contigit cum cognouiſſent Romani, quòd Innocentius ualde increpaſſet Ludouicum, quod tantam ſtragem de Romanis fecerat ut præfertur, aſſerens quòd Ludouicus omnibus malis quæ propterea Papa, & Cardinales, necnon Curiales ipſi paſſi erant cauſam dediſſet, tamen ſimulante fecerat illud Papa, qui ſæpe de auſteritate dicti Ludouici loquēdo ex hoc gratulabatur immenſum, aſcribens ferè ei Iulij cæſaris audaciam, & uirtutem. Recedens autem à Burgo dictus comes cum ſua comitiua Romanos & eccleſias ac monaſteria ipſius urbis tot bobus, uaccis, pecoribus, bubalis & alijs animalibus extra ipſam urbem in diuerſis locis depaſcentibus ſpoliauit, quod ultra C. milia florenorum huiuſmodi abacta animalia ualere dicebātur, quæ ſecum ad Campaniam duxit. Vnde eccleſiarum & monaſteriorum prædictorum perſonæ multū in uictualibus deficientes extremam egeſtatem paſſi fuerunt. Sed poſtquam dictus Ioannes de Columna & nonnulli alij capitanei pro ipſo rege Ladislao ſteterant, quòd XX. dies in eodem Burgo ſancti Petri quodam mane aduenientibus de Viterbio dictis Paulo de Vrſinis & Muſcharda capitaneis gentium armigerarum eiuſdem Innocentij cum

Obſidētur regij in Capitolio à Romanis.

Traditur Capitolium.

Romani magistratus deliguntur: III viri boni viri.

Curiales captiui liberantur.

Homicida à Pontifice increpatur

Paulus Vrſinus

cum magno exercitu contra, ſubito ipſi Ioannes & cæteri capitanei cũ eorum comitiua à Burgo & Roma non tamen ſine damno abierunt.

Quo pacto ambo Pontifices mutuis exhortationibus ac literis ſimulatis orbi illuſerint Chriſtiano. Cap. XXXVIII.

DVm hæc fierent in urbe nocte quadam circa medium dicti menſis Auguſti uehemens tempeſtas aëris inualuit, ita quòd una Abbatiſſa & duæ moniales in quodam monaſterio ſimul ſtantes chòruſcationibus ſuccenſæ ilico perierunt, tecta etiam quorundam domorum & quidam muri & turres ecclesiarum dictæ urbis impetuoſe concuſſi fuerunt. Et ſtatim poſt feſtum ſancti Michaelis iterum Petrus de Luna eundem Innocentium ſolicitare fecit in Viterbio, quòd daret ſaluum conductum quibuſdã ſuis nuncijs qui ſecum de facienda dicta unione aliqua tractare debe-rent. Dictus autem Innocentius credens, quòd præfatus Petrus illud non corde peteret ſed callide, dictum ſaluum conductum dare denegauit, propter quod Petrus tali occaſione captata contra ipſum Innocentium querulando, ſeq; excuſando quòd non ſtaret per eum, quin unio fieret, & diuerſas epiſtolas ſatis comptas ad diuerſa loca iſignia deſtinauit, contra quam idem Innocentius longiores contrarias dictari fecit epiſtolas, quas in diuerſis locis per Italiam fecit publicari, ſicq; ipſi tunc certãtes inuicem de Papatu, & terentes tempus ne cedere cogerentur ſcripturis ſe mutuis ludificarũt. At Innocentius per certos ambaſiatores nonnullorum principum, & per quoſdam ſuos Curiales fecit fieri ſcrutinium ibidem in Viterbio, an dictam unionem facere teneretur, ponens tunc in dubio, quod dũ de electione ageretur in conclaui omnino expediri dicebat, ex quo contra Innocentium, Curialium non modica oriebatur ſuſpicio, murmurantes inuicem & dicentes, quòd unionem reuera facere nollet. Ad hoc ſuum ſummũ pœnitentiariũ & alium præſtantiores Cardinales, eius uicecancellarium deputabat, uolens eos per hoc placare ut dicebatur, ne ulterius eum ſollicitarent ad faciendum unionem prædictam, ſed quia difficile eſt contra ſtimulum recalcitrare. Dum hæc ſic agerentur paralyſis ipſum Innocentium tetigit quodam mane poſt miſſam (dum daret audientiam) ſatis periculoſe in facie, quod audientes dicti Curiales, dicebãt illud ſibi diuino iudicio contigiſſe, eo quòd unionem facere negligeret, necnon & multi multa de hoc loquebantur. Cum autem Pontifex nutu dei de hoc morbo ferè curatus uideretur, Romani per ſuos oratores eum obnixe rogabant ut ad ipſam rediret urbem, de cætero remanſurus

Vide quomõ id quod certiſſimum eſt, in dubium reuocatur.

manſurus offerentes ſibi reſtituere dictum temporale dominium ple narie, prout illud tenuit Bonifacius, ſibi redituro claues urbis tunc actualiter præſentaturos, de quo dictus Innocentius plurimum læta- batur. Huncautem Muſchardam ipſe Paulus de Vrſinis infra pauca tempora poſt hoc prope urbem ad Viterbium redire uolentem inter fici fecerat, de cuius morte ſimiliter ipſi Curiales, quia per duodecim annos ſeruiuit eccleſiæ, acriter doluerunt.

De reditu Innocentij in urbem, & laudibus eiuſdem. Cap. XXXIX.

APpropinquante igitur uernali tempore dictus Innocenti- us ſecunda ſeptimana quadrageſimali Romam redijt, Ro- manorum importunitate deuictus ingenti lætitia populi impenſo ſibi Papali honore magnifice exceptus, qui mox de miſerabili deformatione ædificiorum canonicorum Baſilicæ prin- cipis apoſtolorum, & beneficiatorum in ipſa per ſtipendiarios Boni- facij plurimum deſtructorum dolens, nitebatur ſi ſuperuixiſſet ea ex- penſis cameræ apoſtolicæ reparare, necnon generale ſtudium in ipſa urbe renouauit, quod eo defuncto ſtatim euanuit. Iſte Pontifex fuit mitis, benignus & compatiens afflictis, nec erat aliqua ſuperbia in eo neq; apud ipſum acceptio perſonarum, niſi quòd dictum Ludouicũ & quoſdam alios ſibi ſanguine iunctos in quibuſdam regiminibus terrarum eiuſdem eccleſiæ collocauit. libens poſcentibus audientiam dabat, & ferè diebus ſingulis certis horis ſupplicationes ſibi porre- ctas ſollicite ſignabat. Conſiſtoria priuata, & publica tenebat diebus & horis conſuetis, nec alicui moleſtus, neq; cupidus ſeu auarus exiſte- bat, ſymoniacos exoſos habuit. Natus eſt è parẽtibus honeſti & me- diocris ſtatus, ex inſigni oppido Sulmone Valuenſis dioceſis, quod *Sulmo illi communis* eſt in Aprutio, & Aprutium eſt prouincia regni Siciliæ uerſus Cam- *cum Oui-* paniam, hic erat clarus doctor in Iure canonico, expertus in eadẽ Ro- *dio patria.* mana Curia in agendis, & uix fuit Curialis cuius ſpecialem noticiam *Humanitas* non haberet, & cui non ita placide loqueretur, ac ſi carne ſibi coniun- *Innocentij.* ctus exiſteret, caſtæ uitæ, & bonæ famæ, canendi & ſcribendi peritus, *Doctrina* bonarum literarũ apprime doctus. Fuit etiã olim collector fructuũ *Innocentij.* cameræ apoſtolicæ tẽpore dicti Vrbani Papæ VI. in regno Angliæ, in quo quidem officio ut fama uolebat multum laudabiliter ſe habe- *Integritas eiuſdem.* bat, deinde Bononienſis Epiſcopus factus, ac poſt Theſaurarius Vr- bani factus, demũ p Bonifaciũ in ſui Pontificatus principio ad Cardi- nalatus honorem fuit aſſumptus, ſic graduatim in dignitatibus aſcen *Comparat* dendo, nihil ſimile illi cum Bonifacio quàm pauperem clericum ſoli- *Bonifaciũ cum Inno-* uagum *centio.*

O

uagum ut oculi mei conſpexerunt. Dictus Vrbanus infra xv. dies poſtq; uenit Romam, ſolum habendo reſpectum ad hoc, quod erat pulchræ ſtaturæ, Neapoli de pauperi militari ſtirpe ortus, creauit ꝓ ſuo uoluntatis impetu Cardinales, quod tamen cum paulo ante ipſius obitum ſciens ipſum lepra ſymoniæ infectũ pœnituit, & ſi ſuperuixiſſet, cum propterea prædictum Cardinalem Monopolitanum etiam archiſymoniacum Cardinalatus honore priuare proponebat, ita accepi à quodam ſecretario dicti Bonifacij tunc Cardinalis & quibuſdam alijs fide dignis.

Rurſus de Bonifacio ſymoniaco.

Piſa à Florentinis proditione quorundam Guelphorum recipitur, culpa in reges Rom. rejjcitur. Caput XL.

TEmpore uero Innocentij, cũ eſſet Viterbij, Florentini obſederunt Piſam Tuſciæ Metropolim, Romani imperij cameram & prælectam per plura tempora, & hoc erat propter partialitates, quia Florentini ſunt Guelphi, & Piſani Gibellini, propterea fuit antiquum & radicatum odium inter ipſos, & tandem nõnullis Piſanis, qui potius dictam eorum ciuitatẽ rebus ordinate procedentibus pro uiribus defendere tenebantur, pecunia & promiſſionibus corruptis, necnon magna & intollerabili premẽte fame ciues & incolas eadem, Florentini intrarũt ignorantibus hoc maioris partis ciuibus & incolis, tamen cum auxilio & conſilio huiuſmodi proditorum hodie retinẽt dictam ciuitatem, & penè ad ultimũ exterminium ciues & incolas deduxerunt. Et licet dictus Innocentius cum armigeris eccleſiæ Piſanæ ut fama erat, quamuis in tanto diſcrimine conſtitutis, ſubuenire potuiſſet, nihil egit diſſimulando ad tantam ruinã & infinita mala, quæ propterea euenerunt. Sicq; Rom. imperium tam nobilem ciuitatem cum ſuis caſtris, iuribus, & paulo ante egregias ciuitates Veronam, Paduam, & Vincentiam, cum earũ marchijs, quæ etiam iuris & proprietatis eiuſdem imperij exiſtunt, per Venetos occupatas amiſit, diſſimulantibus illis q ſe reges Romanos & ſemper Auguſtos appellant, quas quidem ciuitates & earum Marchias atq; diſtrictus antiqui boni imperatores & reges Romani, inde ex Germanis omni diligentia pro imperio, aut per ſeipſos aut eorum uicarios regere conſueuerunt. Rex enim dicitur quia regit, non nomine tantum, ut rex puerorum, quem quandoq; conſtituunt inter ſe ludentes mutuo pueri, ut hiſtoria de Cyro rege Perſarum dum puer eſſet legitur contigiſſe, & utiq; abſurdum eſt dicere uel ſentire, quòd quis eligatur in regem Romanum, ad hoc quòd ſolo nomine regis contentus

Guelphi et Gibellini.

Ruina imperij. Verona, Padua, Vincentia.

Reges nomine tantũ.

contentus ſit, ſed potius ut iuſticiam & iudicium faciat in terra, quia dei miniſter eſt, propter quod gladium portat.

Ladislai Siciliæ regis in eccleſiaſticos impietas ab Innocentio damnatur. Caput XLI.

POſtq̃ prædictus Innocentius ſedem ſuam firmauerat Viterbíj ut præfertur, quandoq; mente reuoluit, quod rex Ladislaus cauſam dediſſet tot malis, quæ in urbe fiebant, quodq́ idem Innocentius, & Curiales maxima damna ſuſtinerent, de urbe ipſa miſere fugere compulſi fuiſſent, deliberauit contra ipſum regem uelle procedere uia iuris. ſed habito ſcrutinio ſuper hoc cum quibuſdam ſuis Curialibus contrarium ſuadentibus, proceſſum ea uice ſuſpẽdit, dicto rege in ſua permanente duricia, nec Põtifici in aliquo deferente atq; mala malis accumulante, etiam caſtra & temporalia bona eccleſiarum, monaſteriorum, in ipſo regno Siciliæ conſiſtentium, & olim eis per imperatores Romanos & reges catholicos pietatis intuitu donata, ſub colore quòd cõtra dicti regni Siciliæ ſuosq; hoſtes illa fideliter conſeruare uellet pro uſu eccleſiarum, & monaſteriorum. Sed ipſe huiuſmodi uſurpabat, permotus etiam de nouo in Romana Curia ad eccleſiam, & monaſteria huiuſmodi ad dandum ſibi pecunias taxauit, nec permiſit eos poſſeſſionem eccleſiarum & beneficiorum, ac monaſteriorum apprehendere, niſi ante omnia ipſas pecunias quas poſtulabat efficaciter perſoluiſſent. Quoſdam etiam milites & ſatellites ſuos ad nonnulla monaſteria & domos Epiſcoporum deſtinauit, indulgendo eis ut ibi eſſent per aliquod tempus, & de repertis illic bonis atq; uictualibus ibi diſponerent, prout uidetur eiſdem, qui ſi quos prælatos forte reperirent eorum non uoluntarios receptores, hos milites & ſatellites male tractabant, & pleroſq; à proprijs ſtationibus repellebant, & qui in hoc erat auſterior præ cæteris laudabatur à rege. Et cum de his & alijs oppreſſionibus prælatorum fierent Innocentio de rege præfato querelæ, eũ propterea non corripuit in principio ſui aſſumptionis ad Papatum, ne correptus proinde peiora committeret, obmũtuit & ſiluit. Sed illud in grande damnum eorundem eccleſiarum & monaſteriorum ac prælatorũ redundauit, iuxta illud, Principijs obſta, ſero medicina parat. Inſuper dictus rex multis datus in ſtimulum, illos proceres ſiue magnates qui eum iuuerunt ad recuperandũ ſtatum ipſius regni paſſim exterminabat, multos eorum incarcerando & in carceribus occidendo, quippe omnia ſicut ſibi dictabat animus ſiue bona ſiue mala eſ-

ſent, intrepide faciebat. Quamobrē prædictus Innocentius poſtquā ad ipſam urbem redierat ut præfertur, & in ea per aliquot menſes re-ſidebat, cum rex ipſe nec tunc ab inceptis per eum & diu continuatis malis huiuſmodi reſipiſceret, proceſſum formās, illum in publico cō-ſiſtorio in ſuorum Cardinalium & Curialium, necnon multorum ali-orum illic congregatorum præſentia contra ipſum regem XVI. ad mi nus articulos ualde famoſos continentem fecerat publicari, in quibus inter multa eum declarauit reatum periurij ac proditionis & conſpira tionis contra eundem Innocentium crimina perpetraſſe, ipſumq́ à regno & terris quas in feudū à Romana tenebat eccleſia, necnon etiā in priſtinas cenſuras & ſententias & damnationes, quas ſupradictus Vrbanus VI. contra dictū Carolum de Duracio ipſius regis genito-rem & eiuſdem Caroli poſteros ſeu ab eodem deſcendentes promul-gauit, & à quibus eundem regem Ladislaum ſucceſſor immediatus ipſius Vrbani ſcilicet Bonifacius antedictus abſoluerat, ut in præce-dentibus recitatur, damnabiliter cecidiſſe declarabat, & alia multa ſi-milia utiq; nephandiſſima, quæ Papa per eundem regem perpetrata dicebat, & publicabatur ibidem. Quod cum rex ipſe ſentiret, ſuū ora-torem ad Papam e ueſtigio deſtinabat, qui tantum cum ipſo Papa clā culo pertracti, quòd Paulum de Vrſinis & Ludouicum ſuum patrue lem prædictos ad tractandū pacem inter Papam & reges prædictos ad Neapolim ire fecerat Innocentius, quos uenientes rex multum ho norabat, & forſan pro laboribus eorum bene remuneratos per ipſum eidem Papæ mittenti remiſit. Sed quid ipſi Paulus & Ludouicus cū rege efficaciter egerint, niſi quandam ſimulatam concordiam, non au diui. Dolebamus tamen ualde nos Curiales tot mala paſſi, quorum occaſionem rex ipſe dederat ut præfertur, quòd proceſſus ipſe ſuper negocio tam arduo atq; ſolenniter publicato ſub nube poſtea rema-nens pro ipſa eccleſia laudabiliter & utiliter non concluſit. Scio tamē ex certis cauſis, quòd idem Innocentius ægrum habuit animum cōtra dictum regem Ladislaum quàm diu uixit, nec mirum, quia dum rex ipſe erat iunior, & in Gaieta moraretur, & anteq; ſtatum ſuum recupe rabat in regno prædicto, aliquotiens ad Romam tunc regente Boni-facio cum pauca comitiua uenit, ut ſubſidia quæreret à Papa & Curia libus, quæ ipſi pro poſſe ei gratuite impendebant, eumq́ in eccleſiæ gremio uelut unicum filium eis cariſſimum nutriebāt, inter quos idē Innocentius tunc temporis tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem preſ-byter Cardinalis fuit præcipuus zelator honoris & ſtatus regis me-morati, credens quòd propterea dictus rex ipſum in Papam poſtea electum grata uiciſſitudine pertractare deberet, cuius tamen gratitu-do reperiē

Damnatur Ladislaus rex Siciliæ

Reconciliatur rex cū Pontifice.

do reperitur in omnibus ut præcedentia manifeſtant, nimirum cum ſcriptum ſit, Nolite cōfidere in principibus, neq; in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus. Sic etiam Innocētius dum reſideret in Viterbio ut præfertur, ſcriptores literarum apoſtolicarum per priuationes officiorum ſuorum & alias formidabiles pœnas compulit ad dimittendum focarias eorundem, & ueriſimiliter multa alia utilia peregiſſet in eius Papatu, ſi eum dominus à ſeculo ita ſubito nō uocaſſet. Hic erat etiam pulchræ ſtaturæ, nec pinguis nec macer, & bonæ complexionis, & cum uiris literatis & doctis delectabatur habere colloquia, eosq; dilexit, & pro poſſe promouit, diſpoſuitq; parumper antequam infirmitatem in qua moriebatur incurrit per pauca tempora iterum contra eundem regem Ladislaum dictos continuare proceſſus, ſed morte præuentus, quod propoſuit non impleuit.

Sanctimonia Innocentij.

Statura ac forma Innocentij.

De pernicioſa duorum Pontificum colluſione. Cap. XLII.

SVbſequenter uenio ad Gregorium uel errorium, qui prædicto Innocentio uita functo in ſua obedientia immediate ſucceſſit, & ſi quis fraudes, machinationes, dolos, cautelas, hypocriſias & ſubtilitates, qbus electus fuit per Collegiū Cardinaliū, quibus poſtea unà cum prædicto Petro de Luna unionē in uniuerſali eccleſia facere diſtulit, neq; fecit, & quare non feceret illā ſe excuſauit, in peccatis totam Chriſtianitatem ludificando & decipiendo, necnō & colluſiones uerſutias & palliatiōes inter ſe per medias perſonas habitas, & circa hæc acta per utrumq; ipſorum Errorij & Petri per ſingula deſcribere uellet, uix chartæ & atramētum huic ſufficerent, & laborando circa ea nimiū traheretur in longum. Veruntamen clarum eſt, quòd cauteriatas ſuas habent conſcientias, dicentes ſe eſſe ſimplices, cum ſint aſtutia diabolica repleti, & pro opere pietatis dixerunt & dicunt ſe utiq; uoluiſſe & uelle unionem facere, quod tamē in eorum cordibus non habebant nec habent, malicia faciente ut de multis ipſorum geſtis in ſequētibus pauca colligam, & illa futuris ſeculis in hoc opere curabo annunciare, ſed in alio libello quē Nemus unionis intitulaui, ea omnia latius ſunt depicta cum eorum malicia in præſentiarum uiuentibus etiam uſq; ad fines orbis terrarum ſit luce clarius patefacta, licet prohdolor multi etiam reges & principes & inferiores ſtatus ſeculares poteſtates, communitates ciuitatum, uniuerſitates oppidanorū & caſtrorum, uillarum & aliorum locorum, ac etiam pleriq; eccleſiaſtici prælati cuiuſuis dignitatis, necnon clerici & eccleſiaſticæ perſonæ ſeculares & regulares in diuerſis regnis, prouincijs

Vide ſimulationes ſimonias.

Authoris huius libellus nemus uniōis prænotatum.

& terris conſtituti per deuia & in tenebris ambulantes, & multi eorũ publicum bonum catholicæ fidei non affectantes, ſed propter priuatas affectiones in diuerſa diuiſi, ac quærẽtes quæ ſua ſunt, Errorio & Petro prædictis adhuc adhæreant, ipſos in eorum pertinacia ſchiſmate ac hæreſi damnabiliter confouendo, atq; illos ſibi idola præponendo ad inſtar olim fatuorũ Aegyptiorum, qui ut uetus canit hiſtoria, Pharaone & eius exercitu in perſequendo populum Iſraeliticum in mari ſubmerſis cuilibet uidelicet eorundem ſuperſtitum nouos deos aut noua idola de rebus prophanis confinxit. Quid ergo erit in tam lamentabili ſchiſmate finaliter, quod non ad pacem ſed ad diſcordiã maiorem ipſi potentes in ſeculo, & utinam non ad diſpendium aliorũ minus potentum pernicioſe uanis decepti promiſſionibus & fraudibus uarijs ipſorum Errorij & Petri, ſuorumq; ſequacium & fautorum eos in fermento maliciæ ac ueteri errore ſuſtentant, ac ſi non ſit deus in cœlo, ſed quaſi tota ſalus animarum & corporum mortalium depẽdeat ab duobus ſenioribus Babilonis, ſcilicet Errorio & Petro memoratis, de quibus maior progreſſa eſt iniquitas & paſſim progreditur in uniuerſam terram, quàm unq; ante noſtra tempora ab aliquibus de Papatu contendentibus emanauit, & prohdolor hæc adeo notoria ſunt & manifeſta, quòd nulla poſſunt tergiuerſatiõe celari. Vnde ipſa fides catholica obnubilatur, omnis religio naufragium patitur, Chriſtiani inter ſe diſſidentes plerunq; ſe confundũt, guerræ & aliæ calamitates multæ pullulant, dei timor & hominum uerecũdia & uirtutes à pleriſq; regnantibus & præſidentibus populis atq; alijs inferioribus omnis ſtatus propterea in longum abierunt, in eorum loca ſuẽ ceſſerunt uicia, iuſticia corruit in plateis & in effectu, in uniuerſali eccleſia à capite uſq; ad plantam pedis non eſt ſanitas, nam multi Archiepiſcopi & Epiſcopi, qui populis præſunt plerumq; religionis & honeſtatis cultum deſerentes in habitu & moribus atq; inſanijs multis laicis ſe conformant, necnon auaricia incaleſcẽtes, penè omne pinguẽ de clero & populo ſurripiunt continue famelici remanentes, nec deo nec ſupremis poteſtatibus obediunt, & quia hæc nota ſunt omnibus, ad recitanda ulterius hiſtoriam me conuerto.

Duo ſeniores Babilonis, è qbus progreſſa eſt iniquitas.

Mala quæ ex hoc per nnoſiſſimo ſchiſmate ſunt exorta

Cõtumacia atq; auaricia prælatorum.

Finis libri Secundi.

QVO PACTO ANGELVS CORARIVS IN Pontificem electus, & quæ circa electionem geſta ſunt. Caput I.

CVm dictus Innocẽtius in urbe deceſſiſſet circa finẽ ſecundi anni ſui Pontificatus menſe Nouembris, ſui Cardinales ut moris eſt conuenientes in unũ, aliquãtum inter ſe diſceptarunt, alium loco ipſius Innocẽtij eligere, aut in hoc ſuperſedere, & cum prædicto Papa ſuiſq; Cardinalibus ſuper reali concluſione prædictæ unionis inſiſte re uellent, ſed pro eligendo eidem Innocentio ſucceſſore finaliter con cludendo, ne ipſis ſine capite remanentibus in urbe propter eius temporale dominiũ, quod tunc integrum apud Cardinales remanſerat, periculoſa diſſentio inter ciues Romanos forſitan oriretur, prout facta fuit dum præfatus Innocentius eligeretur, ut ſuperius recitatur, unde conclaue apud Baſilicam ſancti Petri ut moris eſt ingreſſi, poſtq; per multos dies ad eligendum ſucceſſorem deliberaſſent, demum in ipſum Erroriũ uota ſua concorditer direxerunt, credentes eum fore uirum bonæ conſcientiæ, & cæteris omnibus habiliorem promptioremq; ad faciendum unionem antedictam. Sed anteq; ad ipſius electionem procederent, ipſo principaliter ſolicitante, tunc quædam uota & iuramenta ſingulariter ſinguli emiſerunt, prout in inſtrumento publico deſuper confecto plenius cõtinetur. Huiuſmodi igitur uotis & iuramentis taliter emiſſis, & per ipſos eligentes Cardinales ſingulariter ſingulos nemine diſcrepante ad contextum approbatis. Eundẽ Errorium natione Venetum, ætate octogenarium uel circa, magiſtrũ in ſacra pagina, tituli ſancti Marci presbyterum Cardinalem, quem Innocentius ad huiuſmodi Cardinalatus honorem promouit, in locũ Innocentij ipſo feſto ſancti Andreæ apoſtoli concorditer elegerunt, & deinde publicũ inſtrumentũ publicarunt, ita quòd ad noticiã ferè omniũ Curialiũ & multorum de populo dictæ urbis ſubito puenit.

Ecce plus timent temporalia pdere quàm toti eccleſiæ ſuccurrere Cardinales.

Corarius (quem author pro Gregorio errorium appellat) eligitur.

Angelus ſancti Marci presbyter, Cardinalis, poſt electionem Gregorius XII. appellatur. Caput II.

IPſeq; Errorius ante ſuæ coronationis inſignia ratificans & approbans eadem uota & iuramenta ſua per ipſum in eodem conclaui præſtita, ſermonem fecit coram eiſdem Cardinalibus

Vide quàm pulchre nouit imponere uulgo. dinalibus ac Curialibus & alijs in non modica multitudine præſentibus, cuius thema fuit, Parate uiam domino, nihil aliud effectiue in ipſo ſermone deducens, niſi ſollicitando & exhortando Cardinales & Curiales, quòd cum eo omnino parato, ut tunc uerba ſonabant ad faciendam unionem in eadem uoluntate concurrerent, ipſum in hoc poſſetenus adiuuãdo. De quo domini Cardinales & Curiales plurimum lætabantur, & dictis & ſcriptis longe lateq; Errorium laudant præconijs, de ipſius ſanctitate & literarum ſciẽtia, prudentia & bonitate uſq; ad ſidera efferebant, exiſtimantes utiq;, tunc falſa opinione decepti, quòd per eum ſalus fieret in Iſrael, & reintegraretur ipſa eccleſia ſub tali paſtore. Ipſeq; Errorius pro tunc uota & iuramẽta ſua prædicta magis & magis uerbis & factis affirmans, quaſdam literas e ueſtigio ſuper huiuſmodi unione facienda dixerit Petro Lunenſi ſuiſq; Cardinalibus, quarum & reſponſiones ad illas atq; dicti inſtrumenti in conclaui facti tenores ſequuntur.

Tenor publici decreti de iureiurando à Cardinalibus ante noui Pontificis electionem præſtito. Caput III.

De iſto iuramento ui de Paulum de Caſt. Conſ 4.5.9

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis amen. Anno à natiuitate domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo quadringẽteſimo ſexto, indicione XIIII. die Martis menſis Nouembris, in die ſancti Clementis ſede apoſtolica uacante per obitum fe.re. Innocentij Papæ VII. congregati & ad inuicem collegialiter coadunati pro futura electione futuri ſummi Pontificis celebranda infraſcripti reuerendiſſimi in Chriſto patres & domini, domini Angelus Oſtienſis Florentinus, Henricus Tuſculanenſis Neapolitanus, & Antonius Preneſtrinenſis, Aquilegienſis Epiſcopus, Angelus tituli ſanctæ Potentianæ Laudonenſis, Conradus tituli ſancti Griſogoni Militenſis, Angelus tituli ſancti Marci Conſtantinopolitani, Iordanus tituli ſancti Martini in montibus de Vrſinis, Ioannes tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem Rauentinas, Antonius tituli ſanctæ Praxedis Tudertinenſis, presbyter Raynaldus ſancti Viti in Macello de Brancacijs, Landolphus ſancti Nicolai in carcere Tulliano Barenſis, Otto ſancti Gregorij ad uellum aureum de Columna, Petrus ſancti Angeli, & Ioannes ſanctorum Coſmi & Damiani Leodienſes uulgariter nũcupati, diaconi ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales in communi capella ſacri palatij apoſtolici Romæ apud ſanctũ Petrum intra conclaue conſuetum, quod pro loco ad infraſcripta idoneo elegerunt, & etiã deputarunt in præſentia mei & Baronti de Piſtorio &

Nomenclatura Cardinalium.

ſtorio & aliorum notariorum & teſtium infraſcriptorum, conſiderātes Chriſtianæ religionis infamiam, detrimenta & graues fidelium moleſtias ac pericula, quæ hactenus emerſerunt & emergere ueriſimiliter eſt cenſendum, niſi ſalubriori remedio, ac in tempore diuina fauente clementia, cuius res agitur, occurratur, ex peſtifero & damnato ſchiſmate, quod tantis prohdolor temporibus in ſciſſuram Chriſtianæ fidelitatis grauiſſime perdurauit & durat. Nec piam prouiſionē aliàs pro huiuſmodi ſchiſmatis remotione per eos factā ad effectum aliquem perduxiſſet, & intendentes ad remedium fortius non quid iuris pro parte ipſorum iuſticia ſuadeat, quod ius ueriſſimum eſt, & plena ueritate fulcitum, ſed quid pro reintegratione & unitate Chriſtianorum ex malicia temporis defecto & ſi non de iure expediat eligentes & in ſpeculum eorum conſiderationem attollentes, quanti poſſit eſſe diſcriminis ſi dilatio in electiōe futuri ſummi Pontificis fieret temporum malignitate penſata. Vniuerſaliter ſinguli & ſingulariter uniuerſi unanimiter & concorditer nemine diſcrepante ex certa ſcientia conuenerunt, uouerunt deo & eius matri uirgini glorioſæ, ac ſanctis apoſtolis Petro & Paulo, totiq́ꝫ cœleſti Curiæ, uouerunt & unus alteri econuerſo ſe obligando ſolenniter promiſerunt, quòd ſi quis eorum aſſumptus fuerit ad apicem ſummi apoſtolatus pro integratione unitatis Chriſtianorum renunciabit effectualiter iuri ſuo & Papatui pure, libere ac ſimpliciter, ſi & quando Antipapa, qui eſt & qui pro tempore fuerit conſimiliter renūciabit & cedet prætenſi iuri ſuo & Papatui ſiue decedet, dummodo Anti Cardinales uelint cum eiſdē dominis ſacri collegij ſic conuenire & concordare, quod ex hoc ſacro collegio & ipſis ſequatur iuſta canonica electio unici Romani Pontificis, ac etiam promittentes ſe facturos & curaturos omni dolo & fraude atq; maligna interpretatiōe ceſſantibus pro poſſe. Et ſi quis ex dominis abſentibus uel de extra collegium per eos aſſummatͤ in Papā, eandem faciet obligationem, & quod infra menſem à die intronizationis numerandum per ſuas expenſas & apoſtolicas literas regi Romanorum, Antipapa & eius prætenſo collegio regi Franciæ, & omnibus alijs regibus illuſtribus, principibus, prælatis, uniuerſitatibus & cōmunitatibus Chriſtianitatis ſecundū uidere præfatorum dominorum de collegio præmiſſa omnia iudicabit, & ea ſe offeret impletu rum ac paratum ad ceſſionem modo prædicto, & ad omnem aliam uiam rationabilem, per quam prædictum ſchiſma tollatͤ, & unionis ſubſequatur integritas in eccleſia Chriſtianorū. Et quòd ſupra omnibus ſupradictis ultra præmiſſa ſuos ſolennes deſtinabit oratores infra tres menſes à die intronizationis computandos, quibus de conſi-

lio præfatorum dominorum ſacri collegij ſui uidebitur, & ipſis ambaſiatoribus cum effectu imponet cum conſilio eorundem dominorū de locis decentibus eligendum, ab utraq; parte eiſdem poteſtatē plenariam dabit de loco conueniendo habili & decenti. Ac etiam permittet ſimiliter ut præfertur quod pendente tractatu unionis huiuſmodī effectualiter & realiter ex utraq; parte non creabit nec faciet aliquem Cardinalem niſi cauſa coæquandi numerum ſui ſacri collegij cum numero prætenſi collegij Anticardinalium prædictorum. Niſi ex defectu ſteterit aduerſæ partis quod unionis præfatæ concluſio infra annum à fine dictorum trium menſium non fuerit ſubſecuta, quo caſu liceat eidē Cardinales eligere ac creare prout pro ſtatu ſanctæ Romanæ eccleſiæ eidem uidebitur expedire. Et hæc de non creando Cardinali niſi modo prædicto forma congrua inſinuabit Antipapæ & prætenſo collegio ſupradictis, ut ipſi ſimiliter ſic faciant, necnon quòd oīa præmiſſa inchoata & inchoanda mediabit, proſequitur & fine debito terminabit, nihil de contingentibus & neceſſarijs uel quomodolibet oportunis omittendo quantum in eo fuerit, quodq; ſtatim poſt eius electionem & ante ipſius coronationem omnia & ſingula confirmabit authētico modo, & de nouo ſimilem promiſſionem faciet in omnibus & per omnia coram dictis dominis collegij teſtibus & notarijs, ac ſubſcriptionem faciet manu propria in inſtrumento prout infra de Cardinalibus continetur, & ſimiliter huiuſmodi ratificationē approbationem uotum & promiſſionem effectualiter faciet in primo Conſiſtorio publico uel generali, quod poſt coronationem ſuam ad hoc commodo conſueto & congruo tempore celebrabit. Inſuper præfati domini Cardinales uouerunt, iurauerunt, & adinuicem promiſerunt, quòd per ſuas literas infra menſem à die intronizationis prædictæ collegialiter intimabunt, & de electione facta, necnon de uoluntate & promiſſione quo ad unionem perſequendam & omnia ſupradicta omnibus præfatis dominis, prout & ſicut facere tenetur, qui erit electus & etiam inchoata mediabunt, proſequuntur & finient, quantū in eis erit nihil de contingentibus neceſſarijs uel oportunis quomodolibet ſeu utilibus omittendo, quæ omnia & ſingula promiſerunt inter ſe adinuicem, & uiciſſim, ut ſupra attendere, facere, exequi, & adimplere, bona, pura & ſincera fide, omni dolo & fraude ceſſantibus. Et ſic quilibet eorū iurauit corporaliter manutactis ſacroſanctis euangelijs coram eis præſentialiter poſitis ſeruare & adimplere ac exequi, prout ſuperius continetur, quodq; à prædictis promiſſione, uoto & obligatione ac iuramēti præſtatione & eius obſeruatiōe, ac omnibus & ſingulis ſupradictis nullus eorū abſolutionem petet, ſeu impetrabit per

bit per ſe uel alios, & impetratis uel impetrandis utetur, & ſibi conceſſam nullatenus acceptabit, nec data poteſtate per ipſum alteri, ſe faciet abſolui ſeu etiam in aliquo ſecum diſpenſari, ſed uolet dicto uinculo perpetuo remanere obligatus. Et nihilominus ad maiorem certitudinem & firmitatem præmiſſorũ quilibet ex dominis de collegio prædicto teneatur ſe ſubſcribere manu propria in omnibus & ſingulis inſtrumentis conficiendis exinde, quorum inſtrumentorum quilibet ex ipſis dominis de collegio unum uel plura habere ualeat pro eius libito uoluntatis. Acta in capella præfata.

De literis ad Benedictum per Gregorium ſuper unione fienda tranſmiſſis. Caput IIII.

GRegorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei Petro de Luna, quem nonnullæ gentes in hoc miſerabili ſchiſmate Benedictum XIII. appellant, pacis & unionis effectum. Qui ſe humiliat inquit ueritas exaltabitur, & qui ſe exaltat humiliabitur. cuius ſaluberrimam monitionem quantum nobis ex alto pmittitur obedienter ſectati, decreuimus per literas noſtras omni contentione ſepoſita benigne te affari, & ad integrationem eccleſiæ cohortari, imò te inuitare ad id conſilium capeſcendum, quod nos ipſi pro pace eccleſiæ accepimus. Vides quãta mala, quanta pericula, quãta incommoda, quanta denicp Chriſtianæ religionis infamia iam p triginta annos ex hac peſtilente ac ueſana ſeditione in populũ dei peruenerunt, quantacp niſi prouideatur ſint cotidie euentura horum omnium malorum, quæ cauſa ab initio fuerit certa uidetur, quibus rigor iuſticiæ non ceſſit, nec forſan æquitas perſuaſit, nihilominus tamen graues moleſtias Chriſtianam religionem perpeſſam non dubitatur. Si ergo nũc quocp eodem modo fiat, dubius eſt remedij locus, quominus eccleſia in ſolitis remaneat anguſtijs, in qua & tu de teipſo & conſcientia tua uideris, nos mentes & intentionem noſtram apertiſſime profitemur, non eſt conſilij noſtri tempus aliquo modo terrere, ſed quo ualidiora certiora & firmiora fuerint iura noſtra, tanto laudabilius ducimus ea pro pace & reintegratione Chriſtianorũ relinquere, non enim de ſummo iure diſputandum eſt, ſæpe rigor ipſi utilitati & tempori cedit. Nam ſimiliter illa & iuri ſuo & proprio filio ſpoliari uoluit, ne ſectionem unius pueri uideret, quanto magis nos ſi malicia operante ad optatam unionẽ uenire non poſſumus, per iuſticiæ uias matri cedendum uidetur. Quare exurgamus ambo in unum unionis affectum, concurramus, feramus ſalutem eccleſiæ iam hoc diuturno

XXX. anni iam durantis ſchiſmatis.

morbo afflicte ad hoc te inuitamus, paratiq; ſumus & offerimus noſtro ueriſſimo iuri & Papatui cedere & renunciare, & efficaciter faciemus, ſi & quando tu renunciaueris ac ceſſeris præſenti iuri & Papatui tuo, uel deceſſeris, dum tamen illi qui apud partem tuam pro Cardinalibus ſe gerūt, ſic conuenire & concordare cum uenerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus cum effectu uoluerint, ut exinde canonica unius Romani Pōtificis ſequatur electio, ita quòd prædicta expeditiorem ſequatur effectū celeriter mittemus oratores noſtros, qui tecum de loco habili & decenti ad huiuſmodi rei confectionem diſponant, & inſuper pendente unionis huiuſmodi tractatu non faciemus neq; creabimus aliquem Cardinalem, niſi forſan cauſa adæquandi numerum fratrum noſtrorum cum numero eorū, qui apud te pro Cardinalibus ſe gerunt, ut ſic pares ex utraq; parte ad ſolennem & canonicam electionem unici Romani Pontificis deuenire poſſint. Extra hāc autem coæquationis cauſam nullum ut dictum eſt creare decreuimus, niſi ex defectu tuo uel partis tuæ ſteterit, quominus unionis præfatæ concluſio infra annum & tres mēſes à die intronizationis noſtræ computandum fuerit ſubſecuta. Hoc tamē de non creando Cardinali tractatu huiuſmodi pendente diximus. Ita locum habere intendimus, ſi tu quoq; idem obſeruabis, hanc uero ablationem & inſinuationem de Cardinalibus non creandis, ac ſuperiorē ablationem renunciationis modo prædicto, ut ſtrictiori uinculo fierent iurauimus, uouimus & promiſimus ante electionem noſtram eodem uinculo effectualiter adimplendam cum ſingulis ex noſtris fratribus antedictis in caſu, quo aliquis noſtrum ad apicem ſummi apoſtolatus eſſet aſſumptus, poſt ipſam aſſumptionem ad ipſum & firmiorem inſtantiam denuo iurantes, uouentes, promittentes atq; ratificantes. De hoc autem quòd bulla ſine impreſſione noſtri nominis eſt appenſa præſentibus nullus debeat ammirari, nam ante noſtræ coronationis inſignia huiuſmodi imperfecta Bulla abſq; ipſius impreſſione nominis habetur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum &c.

Operæpretiū eſt uidere q̃ inſigni nūcio atq; legato tanta cauſa totius Chriſtianiſſimæ demādetur, quo uel maxime quātū unio cordi fuerit Pōtifici apparere poteſt.

Reſpondet Benedictus ad literas ſuperiores. Caput v.

BEnedictus Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei, Angelo dicto Corario, quē nōnulli ſibi in pernicioſo ſchiſmate adhærētes Gregorium nomināt, pacis & ueræ unionis affectum pariter & effectum per quendam conuerſum ordinis Prædicatorum tuas die xv. huius menſis Ianuarij literas recepimus, non nulla per ea concepta circa tractatum unionis eccleſiæ ſanctæ dei frequenti

quenti hactenus per nos repetitione temptatum, & adoptatum finem peccatis exigentibus non deductum ſummariæ continentes, quarum tenore proſpecto illi gratias egimus, qui ſua ineſtabili clemētia quādo uenit temporis plenitudo noſtræ humanitatis indumento contectus in ſuæ natiuitatis exordio diuerſos in ſe parietes copulans iam cœpit, & nunc uirum nobis à noſtræ promotionis ad apicem ſummi apoſtolatus initio pacem & unionem totis uiribus & deſiderijs quærentibus talem inuenire conceſſit, qui nobiſcum ut tuæ literæ proteſtantur in hoc ſalutari propoſito deo accepto ſaluti animarum ac cōmodo mundo neceſſario utili & uotiuo noſtris affectibus ſic ſincera affectauimus & optamus intentione cōcurrit. Multo etiam hactenus ſicut te noſſe non ambigimus, quòd duos prædeceſſores tuos immediatos in ſtatu quem aſſumpſiſti, per nos & noſtros ſudatum eſt, ut tam exitiale malum de medio Chriſtianitatis euulſum radicitus de militantis eccleſiæ finibus pelleretur. Non enim nobis ſunt incognita damna prohdolor Chriſtiani populi, quæ iam dudum hæc execranda & deteſtanda diuiſio protulit, horum autem malorum qui cauſam dederunt ab initio, quæ ſchiſma prorogauerunt, ſed continuis ſucceſſibus neglecta iuſticia & ueritate ſuppreſſa fuerunt, certum uidetur his præſertim qui rei geſtæ ueritatem nouerunt, & qui præceſſerunt in huiuſmodi negocio de hoc recto libramīe ponderarūt. Sed quod referimus diſplicentior his noſtris negocijs in caſſum malicia operāte deductis à prædeceſſoribus tuis antedictis, quibus uias in inſtrumento contentas, & etiam alias rationabiles aperiri fecimus, & aperiendas recipere & proſequi obtulimus nos paratos, nec uerbū aliquod effectiuum reportauimus. O te felicem, ſi ad hoc te dominus reſeruauit, ſi facultatem ad ea quæ tibi data uidetur cum omni diligentia efficaciter proſequens nobis in effectu proſequendæ unionis te reddendo conformem ſpopondiſti. De contigentibus nil omittas, ad hoc te pijs exhortationibus inuitamus, ad hoc nos promptos reperies, hoc ſummopere cupimus, ad hoc noſtra aſpirauit & aſpirat intentio, noſter attendit affectus, ut deo dirigente qui uoluit, & eo præſtante qui poteſt per noſtræ humilitatis miniſterium, ut unio in dei eccleſia deſiderata ſequatur. Sed non permittit nos diſſimulare ſilentio, imò in ſtuporem uehementis aſpirationis inducit, quòd tua ſcriptura interprete uideris innuere, quòd per iuſticiæ uias ad optatam unionem uenire non potes, ut nobis quodammodo uideatur impingi, quòd uiæ diſſenſionis ueritatis & iuſticiæ ꝑ nos recuſatæ fuerint, uel in aliquo impeditæ. abſit hoc à nobis, nam teſte deo, nunꝙ̄ in hoc uiā iuſticiæ ác diſſenſionis ueritatis recuſauimus aut impediuimus, imò ut uerum

fateamur, eam obtulimus, optauimus & optamus, & erga prædictos prædeceſſores tuos te teſte, qui ut percepimus aliquando interfuiſti & erga alios quos negocium tangebat cum debita ſolicitudine quæſiuimus & proſecuti fuimus, nec per nos unq̃ ſtetit ſtat aut ſtabit, quo minus iuſticia & ueritas huiuſmodi quantum ad nos pertinet uideatur & agnoſcatur, ſicut ſatis ex ablatis per nos tuis prædeceſſoribus antedictis poteſt liquide apparere, tamen de iure noſtro per ſcientiã & iuris euidentiam ſurſus certi. Vt igitur de intentione noſtra quam habuimus circa huiuſmodi ſchiſmatis extirpationem & unionis aſſecutionem te reddamus certiorem, tibi præſentiarum tenore ſignificamus & offerimus, quod ut tam præoptatum unionis negocium celerius cõſequi ualeat, & ſecurius executioni demãdari, parati ſumus unà cum collegio uenerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinaliũ in loco ſecuro & decẽti ac idoneo tecum & cũ quocunq; ſucceſſore tuo decedentibus cum prædictis, qui apud partem tuam pro Cardinalibus ſe gerunt uel gerent, perſonaliter conuenire pro unione eccleſiæ tractanda, & fauente domino obtinenda, ubiq; prouiſo & ordinato de his, quæ pro ſecuritate ac acceleratione unionis prædictæ erunt oportuna & neceſſaria diſponenda parati ſumus pro ſalute animarum ac unione & reintegratione Chriſtianorum in dicta conuentione perſonaliter noſtro ueriſſimo iuri & Papatui pure libere & ſimpliciter cedere & renunciare, & efficaciter faciemus, ſi tu ibidem conſimiliter renunciabis & cedes prætẽſi iuri tuo & Papatui, uel decedet dummodo uel quicunq; ſucceſſor tuus, & illi, q apud partem tuam pro Cardinalibus ſe gerunt aut gerent, ſi ut præfertur uolueritis & uoluerint cum effectu conuenire & concordare nobiſcum, & cum uenerabilibus fratribus noſtris prædictis, quòd exinde canonica unici Romani Pontificis ſequatur electio & unio eccleſiæ ſanctæ dei. Oratores autem tuos quos ut aſſeris àd noſtram præſentiam celeriter deſtinare proponis, libenter uidebimus, benigne audiemus, & charitatiue tractabimus, eiſq; iam ſaluum conductum per dictum cõuerſum deſtinauimus. Quòd etiam de abſtinendo à creatione Cardinalium niſi in certis caſibus intimaſti, uolumus & intendimus obſeruare. Feſtina igitur, tolle moras, concurre nobiſcum, & conſiderãs humani operis breuitatem tantum bonum non ultra differendo procraſtines, ſed celeriter uias ſalutis & pacis amplectaris, cum tandem in extremo iudicio cum numeroſa multitudine eorum, qui nos in hac quam præſtolamur unione ſequentur, quam ad illius ouile præſtante domino reducemus. Ipſe paſtor bonus, qui pro ouibus ſuis animã ſuam poſuit, nos ut de eius miſericordia ſperamus in dilecta ſua tabernacula

bernacula introducat. Datum Marſiliæ apud ſanctum Victorem.

De nequiſſima atq; doloſa ſimulatione Gregorij. Cap. VI.

PRæfatus uero Errorius multum conſimiles literas ſicuti ei dem Petro direxerat, etiam per ſuam obedietiam undiq; regibus, ducibus, Marchiõibus, Lantgrauijs, & alijs principibus, comitibus, Baronibus, proceribus, necnon communitatibus ciuitatum, & uniuerſitatibus inſignium opidorum, ac etiam Archiepiſcopis, Epiſcopis, & quibuſdam prælatis inferioribus deſtinauit, tamẽ plerunq; per Lollardos ſeu Beguardos, ad quos ſemper uidebatur eius affectio ſpecialiter inclinari, exhortando illos quibus ſcripſit in uiſceribus charitatis, quòd omnes ipſi in uiſceribus charitatis unà ſecum ad faciendum dictam unionem intuitu fidei concurrerent, & in tam pio negocio alter alterum non expectaret. Et aliquando cum ſuis capellanis & ſcutiferis domeſticis maxime in collectione poſt cœnam uel prandium conferendo dicebat ad ipſos, quòd pro certo nequaq; per eum ſtaret, quin dicta fieret unio in quocunq; loco etiam quantumcunq; ab ipſa urbe remoto illa fieri oporteret, & ſi galeis ſeu forte nauigijs careret, paratus eſſet illic etiam in parua cymba ſeu carbaſa nauigare, quodq; ſi per terram illuc pertranſire magis expediret, ac conuenienti equorum uectura careret, certe non propter hoc dimitteret, quin illuc iret etiam ſi eundo pedeſter baculo arundineo per iter ſuſtentari deberet, multa his ſimilia uerba frequentius eructando. Et quis iſtis & etiam prædictorum inſtrumenti necnon literarum tenoribus ſolicite perſcrutatis aliud unquam in illa nouitate crediſſet, quin dictus Errorius omnia ſic dicta & facta per eum toto conamine proficeret, de quo etiam tunc temporis ipſi domini Cardinales ac Curiales nullatenus dubitabant, ſed timuerunt, quia idem Errorius ualde ſenex erat quando eligebatur in Papam, quòd nimia ſenectute forte deficeret anteq; dictam unionem perficere poſſet, apparuit enim cunctis quòd uix per medium annum tunc ſuper uiuere poſſet, aut forte per partem aduerſam impediretur unio ipſa. Verũ tamen ipſe Errorius infra pauca tempora poſt hæc fidem cum tempore uarians, & mores cum dignitate commutans, nec habens de publica turbatione dolorem, ac propriæ ſalutis immemor, omnẽ quæſiuit occaſionem, ut in ſequentibus patebit, qualiter (ne ipſam faceret unionem) poſſet palliare miris inuentionibus ad hoc uſus eſt. Nimirum cum ſit hypocrita inſignis, quia hypocritæ ſub ouina pelle, ſub uerbis & geſtibus ingenioſis mũdo militant, charitatem foris oſtendẽtes, at interius

Subdola uulpes pilos interdũ mores uero nunquam mutat.

Hypocritarũ ingenia artes atq; fraudes.

interius lupi rapaces exiſtunt, tales etiam ſunt omnes proditores, qui doloſe ſub ouis ſimplicitate malignantur inter confidentes, non aduertentes quòd deo diſplicet omne quòd ad æquitatis regulam non dirigitur. Quòd autem Papa etiam unicus ſi rectè nō agat propterea magiſter Errorius exiſtat, ſacris canonibus approbatum eſt. Vnde Leo Papa uir ſanctus ab aliquibus æmulis ſuis de quodam ficto crimine delatus, ſuper hoc ultra ſe Ludouico pio imperatori aut ſuorum nunciorum determinationi ſubmiſit, necnō de illo etiam poſtea ſemet coram toto populo publice purgauit, ut patet in Decretis ubi legitur, Nos ſi incompetenter aliquid egimus, & in ſubditos iuſticiæ legis tramitem non ſeruauimus, ueſtro ac miſſorum ueſtrorum cuncta uolumus emendare iudicio, quoniam nos qui aliena debemus corrigere, ſi peccata maiora committimus, certe non ueritatis diſcipuli, ſed quòd dolentes dicimus erimus præ cæteris erroris magiſtri. Inde magnitudinis ueſtræ magnopere clementiam imploramus, ut tales ad hæc quæ diximus perquirenda miſſos in his partibus dirigatis, qui deum per omnia timeant, & cuncta quemadmodum ſi ueſtra fuiſſet præſens imperialis gloria diligenter exquirant, nō enim hæc ſola quæ ſuperius diximus quærimus, ut examuſſim agitent, ſed ſiue maiora ſiue minora illis ſint de nobis iudicata negocia. Ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in poſterum nihil ſit, quod ex eis indiſcuſſum uel indiffinitum remaneat. Ex quo infert, ꝙ quia ipſe Errorius ſic decepit mundum ſuis uotis & iuramentis antedictis, quæ rationabiliter tranſgredi non poterat, per hoc factus eſt magiſter, & propterea nō iniuſte Errorius appellatur, & ſi unicus & indubitatus Papa, ſcilicet ipſe Leo ſe ſubmiſit alterius iudicio, uidelicet nedum imperatoris, imò etiam ſuorum nunciorum, ut an uera uel ficta eſſent crimina ſibi impoſita diſcuterent, quid de dubitato Papa & cōditionaliter, atque in ſchiſmate electo, ſcilicet eodem Errorio ad illum finem, quòd ipſam eccleſiam uniuerſalem, quæ ſciſſuram patiebatur, integraret, nec illud efficere uoluit, conādo ſemper in ſtatu, ad quem ſic ſophiſtice aſcenderat, in maximū detrimentū fidei chatolicæ pmanere.

Papa delinquens.

Leo Papa Imperatori ſe ſubmittit

Verba Leonis in Decretis c. nos ſi 2. q. 2. repetita.

Ad unionē fiendam reg Roma. obedire debet Pontifex.

De poteſtate Pontificis atque Imperatoris, & an imperium dependeat ab eccleſia. Caput VII.

IDeo rationabiliter fieri poſſet per regem uel imperatorē Romanum & alios eccleſiaſticos prælatos, necnon populum Chriſtianum, prout ciuiliter intelligentibus eſt notum, & præcipue intereſt imperatoris aut regis Romani,

quòd

quòd catholicus unicus & mundus Papa ſedeat in ſede Petri, cum rex aut imperator ſit filius ſpiritualis eccleſiæ, ac rex regum & dominus dominantium, cuius poteſtas à deo eſt, & ut dicit apoſtolus, qui ei reſiſtit dei ordinationi reſiſtit, & ſibi damnationem acquirit, quia in facinoroſos aduertit, non enim ſine cauſa gladium portat, dei enim miniſter eſt. Quòd autem imperium principaliter & immediate pendet à deo, ſicut eccleſia ſeu eccleſiaſtica poteſtas, patet per rationes cui dentes, & ſicut etiam firmatur & habet in decreto ubi legitur, et ſcribit Papa imperatori in hunc modum, Eccleſiæ meæ cui deus noſter ſacerdotium meum uobis res humanas regentibus deputauit &c. & hoc idem in pleriſq; alijs locis patet in iure. Ex quo infertur quòd fatue & adulatorie loquuntur illi, qui dicunt, quòd Papa ſeu eccleſia duos habet gladios, ſcilicet ſpiritualem & temporalem, cum in euangelio Petro ſit dictum, Cõuerte gladium tuum in uaginam, & ibidem addita ratione, uidelicet, Omnis enim qui gladio ferit &c. etenim ſi uterq; gladius apud Papam exiſteret, ſuperuacue uel ficte imperator uel rex Romanus illud nomen haberet, ſed iſti adulatores ſeu aſſentatores per talia ſcripta & dicta inducunt maximum errorem in tota Chriſtianitate, & ſuſcitant quodammodo perpetuam æmulationem ſeu diſcordiam inter Papam & imperatorem. Conculcatur enim per hoc imperialis authoritas, & eius poteſtas ſub dubio collocatur in totius reip. detrimentũ, ut uidemus. Patet etiam ex decreto, quòd cum ſchiſma uiget in Romana ſede, quòd propter authoritatis excellentiã & in temporalibus potentiam imperator uel rex Romanus prælatos eccleſiaſticos poteſt cõuocare, ut illud omnino tollat, quod credo intelligi debere de illis, qui re & nomine imperatores uel reges exiſtũt Romani, non autem de illis qui deſides ſeu ſolo nomine imperatores aut reges Romani ſunt, ſicuti fuerunt imperatores & reges Romani, quos noſtro tẽpore habuimus & habemus. Illi enim nõ merentur imperatores uel reges Romani nominari, qui ſunt puſillanimes & effeminati. Exempli gratia de hoc in decretis legimus in hæc uerba: Hinc eſt cum authoritas Theodorici regis ex diuerſis prouincijs ad urbem Romanam ſacerdotes uenire præcepiſſet, ut ſanctum Concilium iudicaret de his, quæ uenerabili Papa Simacho præſuli apoſtolicæ ſedis ab aduerſarijs ipſius dicebãtur impingi, Liguriæ & Etruriæ Epiſcopi ſeu Venetiarum ſuggeſſerunt, ipſum qui dicebatur impeditus debere ſynodum conuocare, ſcientes, quia eius ſedi primum apoſtoli Petri meritum, deinde ſecuta iuſſione domini Conciliorum ueneran dorum authoritas ſingularem in eccleſijs tradidit poteſtatem, nec antedictæ ſedis antiſtitem minorum ſubiacuiſſe iudicio. Ad hoc ſereniſ

An imperium dependeat à poteſtate Pontificis.

Diſt. 57. c. eccleſiæ.

Opinio omnium ferè canoniſtarũ

Diſt. 17. c. Concilia.

Aliàs Emiliæ.

ſimus rex inſpirante deo reſpondit, Synodalis eſſe arbitrij in tanto negocio ſequēda præſcribere, nec aliquid ad ſe præter reuerentiā de eccleſiaſticis negocijs pertinere, committens etiam poteſtati Pontificum, ut ſiue propoſitum uellent audire negocium ſiue nollent, quod magis putarent utile deliberare, dummodo pro uenerandi prouiſione Concilij pax in ciuitate Romana daretur. Epiſcopi uero in ſynodo reſidentes congregata authoritate eiuſdem dixerunt, Symachus Papa apoſtolicæ ſedis præſul ab huiuſmodi oppoſitionibus impeditus quantum ad homines reſpicit, ſit immunis & liber, cuius cauſam totā dei iudicio reſeruauimus. De clericis uero memorati Papæ, q ab Epiſcopo ſuo ante tempus contra regulas diſceſſerunt, & ſchiſma fecerunt, hoc fieri decreuimus, ut hi ſatiſfacientes Epiſcopo ſuo miſericordiam conſequantur, & beneficijs eccleſiaſticis ſe gaudeāt reſtitui. Laurentius Epiſcopus Mediolanēſis eccleſiæ huic ſtatuto noſtro, in quo totam cauſam dei iudicio commiſimus ſubſcripſit, Petrus Epiſcopus Rauēnatis ſub eiſdem uerbis ſubſcripſit, & poſt eum LXXV. Epiſcopi &c. Cum autem ita ſit, mirandū eſt quare dominus Rupertus modernus rex Romanus tam frequenter dictum Errorium in eius manifeſta pertinacia ſchiſmate ac hæreſi contra eiuſdem Errorij promiſſa uota & iuramenta ſponte præſtita & totiens repetita foueat & defendat, quód utiq; tendit in maiorē ſciſſurā eccleſiæ. Et quid ad ipſum regem aliud ſpectaſſet in hac parte, niſi quód iuxta formam dicti canonis immediate præcedentis adinſtar dicti regis Theodorici præfatis Errorio & Petro de Papatu contendentibus ſeueriter ſcripſiſſet atq; mandaſſet, quód unionem facerent in eccleſia, ad hoc quód pax fieret nedum in urbe ſed & in tota Chriſtianitate, maxime cū ad illud etiam irrequiſito dicto rege Ruperto ſe ſponte & libere obligaſſent iuraſſent & uouiſſent, illudq; ſibi ſolenniter intimaſſent, necnō ut ad hoc ſuffragaretur eundem pariter requiſiſſent.

Rupertus Romanorū rex Gregorij partes fouet.

Geſta atq; triumphi Dietherichi de Bern, aliàs de Verona. Caput VIII.

Potentia Theoderici regis.

Nimirum igitur ſi generale Concilium tunc congregatum detulit reuerenter dicto Theoderico regi magnifico, qui tunc occidentale imperium ſtrenue gubernabat, & qui reuera rex fuit re & nomine, quia non uerbis ſed factis gloriabatur, huic enim Romani, Aprutini, Siculi, Calabri, Tuſci, Etruſci, Ligures, Veneti, Illirici, Iſtri, Foroiulienſes, Sueui, Getarum & Pannoniarum incolæ atq; Galli, uſq; ad Hiſpaniam & multæ aliæ genera

tiones

tiones hominum cum ſumma reuerentia obediebant, hic etiam propter eius liberalitatem, ſtrenuitatem, magnificentiam, necnon in arte bellandi peritiam, & crebras eius cum rebellibus imperio uictorias, pater regum & princeps principum appellatus eſt tempore ſuo, qui deſcendens à uero imperatore Conſtantinopolitano, meruit eius effigiem ſiue ſtatuā imperiali edicto artante in foro publico eiuſdem ciuitatis collocari. Hic etiam de Græcia ueniens per Illyricum & Panoniam ac demum per Theutoniam appropinquans Veronæ, ibi cū potentiſſimo rege Odoacre principe Ruthenorum, qui tunc Romā & totam Italiam tyrannice occupabat, ſibi occurrente conflixit, quem bello campeſtri deuictum, & uix equi ſubſidio ad Papiam fugientē perſequebatur continue, & ibi denuo bello commiſſo uictor iterum extitit, necnon ipſum Odoacrem ad Rauennam uſq; fugauit, in qua per eum girum diutine obſidendo tandem uiuum ſibi tranſmiſſum gladio interemit, ſicq; dominium totius Italiæ poſtq; illud idem Odoacer per XII. annos detinuit ſortitus eſt, Papa tūc diſſimulante, & quòd apud eum ipſi duo tunc eſſent gladij ut æſtimo nō dicente, necq; illud coram ſe in publico prædicari permittente. Hic etiā rex Thecodericus excellentiſſimos & nobiles uiros Caſſiodorum & Sydoniū literarum ſcientia eruditiſſimos Cancellarios habuit, qui eum laudibus eximijs extulerunt, ut hiſtoriæ per eos deſcriptæ demonſtrant. Hūc etiam regem Theodoricum Alemani dilexiſſe uidentur, quem adhuc Theodoricum de Berne Germaniæ uulgus appellat, necnon quaſdā de ipſo cantilenas in uulgari Theutonico ad ipſius regis laudē dictauerūt, quæ adhuc plerūq; per ruſticos & mœchanicos decātant.

Victoriæ Dietherichs uon Bern.

Caſſiodorꝰ Sydonius, fuerunt archigrāmatei Theodorici.

Carmina Germaniæ de Dietbero Bernēſi.

An Papa delinquens poſſit ab imperatore corripi. Et de laude Ottonis primi. Caput IX.

SEd certe noſtri moderni reges & imperatores longe in talibus ab eodem Theoderico rege diſtare uidentur, qui maiori cura priuatum patrimonium ſuum quàm iura eiuſdem imperij conſeruare conanť. Quòd autē imperialis poteſtas ſit præcipue ſuper malum & incorrigibilem Pontificem Romanum, per quem ſcandalizatur eccleſia ex geſtis imperatorum ſeu regum Romanorū ſatis conſtat, nam Ioannes Papa duodecimus fuit unicus & indubitatus Papa, qui ante Papatum uocabatur Octauianus, de nobili & potenti genere procreatus, q poſtq; aſſumptus erat ad Papatum uenationibus ferarum ſilueſtrium quandoq; interfuit, necnon libidinoſe ac lubrice uiuens cum ſuſpectis mulieribus ſortes

Papa delinquens ab imperatore corripiēdꝰ.

Alij hunc XIII. faciunt.

Otto primus imperator Rom.

poſuit, ac etiam aliquos ex ſuis Cardinalibus eum propterea arguentibus male tractauit, & mutilauit. Quod audiens Otto primus magnus Auguſtus de hoc ex corde doluit, ex Germania propterea Romam ueniens, eidem Papæ cur illic uenerat expoſuit. Quod audiens Papa ualde timuit, promittens imperatori, quòd eius uitam ſubito emendare uellet. Imperator autem credens eum ita facturum ad Papiam è Roma ſeceſſit, ubi hiemando remanſit, ut ſcrutaretur interim ſi forſan præfati Papæ dictis facta reſponderent, ſed quia difficile eſt conſueta relinquere, Papa ipſe nec deum nec imperatorem habẽs præ oculis, mala malis accumulauit. Quod ſentiẽs Auguſtus irato animo ad urbem redijt, ut dijudicaret de ipſo Papa, qui hoc audiens utpote ſibi ipſi male conſcius ſe inde fugæ ſubſidio eueſtigio abſentauit ad Campaniã declinando. Sed impiger imperator Concilium cleri Romani contra eundem Papam in ipſa urbe conuocauit, in quo dicto Papa communi uoto eius Concilio depoſito uir laudabilis famæ ac ſanctæ conuerſationis alter Leo huius nominis VIII. extitit ſurrogatus. Ipſe autem Octauianus ne ad manus imperatoris deueniret, abdita loca perquirens in ipſa Campania miſere diem clauſit extremum. Profecto tũc temporis Papa non habuit tot temporalia ſicut Romana eccleſia nũc uidetur habere, quia ipſe magnus Auguſtus & de ipſo deſcendentes, ſecundus & tertius eiuſdem nominis Auguſti, ipſam Romanam & alias eccleſias in Italia & Germania ſecularibus dominijs ditarunt, & ita manifeſte apparet in libris, quæ ſuper donationibus eccleſiæ factis per imperatores & reges Romanos confecti ſunt in theſauraria ſeu camera apoſtolica conſeruantur. Præterea tũc erat adeo excellens Auguſtus, quòd nemo contra eius uoluntatem aliquẽ Papam præſertim malignum, abiectum uel ſchiſmaticum auſus fuiſſet publice confouere, aliàs certe idem Octauianus ut exiſtimo repeririſſet aliquem potentem, qui ipſum in ſua malicia & tyrannide confouiſſet, nec ciuitas Auinionenſis cum eius mirando palatio tenuit Romanam eccleſiam, ſed potius magno Ottoni obſequebatur.

Liberalitas Ottonũ in eccleſiam Romanam

An expediat Pontificem Romanum rerum temporalium dominijs auctũ fuiſſe, & adhuc ipſa mordicus tenere. Cap. x.

QVid igitur inducit aliud hæc pompa tantorum temporalium dominiorum, de quibus nunc gloriatur eccleſia Romana, quàm negligentiam in ſpiritualibus, & erectionem tyrannorum in eiſdem dominijs, & diuiſiones ſeu ſchiſma in eadem eccleſia, & alia mala plurima, ſatis eſt notum? Hic etiam Otto magnus

to magnus duo ſchiſmata ſucceſſiue orta in Romana eccleſia dũ ageret in Gallia & Alemania cum ingenti exercitu ad urbem Romanam rediens manu potenti ſuſtulit, & unum in Capitolio tunc fortiſſimo & alium in Caſtronouo ſancti Angeli, quod tunc carcer Theodorici uocabatur, loco firmiſſimo contendentes tunc de Papatu prima facie cum machinis & alijs rebus bellicis expugnando cepit, & multorum nobilium ac potentum Romanorum eos fouentium palatia in urbe deſtruxit, & multos eorũ iugulauit, ſeu gladio interemit, ſicq; ipſas eccleſias ad unionem deo ordinãte perduxit. Et poſt longa tempora orto alio ſchiſmate in ipſa eccleſia iterum redijt ad urbẽ ipſam, & cauſa cognita utriuſq; contendentis, & clero per concilium ſubito conuocato, & uno declarato Papa, alterum ſcilicet Benedictum ſecundũ Saxoniam in exilium deportauit.

Otonis metu duo ſchiſmata ſublata.

Quòd ad imperatorem maxime pertineat ſchiſmata tollere, author in Pontifices criminoſos inuehitur. Et an iuxta canonũ decreta tales à nemine debeant iudicari. Cap. XI.

Ecce quantus & qualis fuit iſte Auguſtus, quí tot laboribus & expenſis pro reformatione unionis in ipſa eccleſia ultro ſe ſubmiſit, & felicior operatus eſt, nam mali inquietem alijs præparãtes cogendi ſunt ad pacem & ad bonũ. Regiæ poteſtatis intereſt præcipue, ut per eam mali coërceãtur à malo, ut boni quiete inter malos uiuant, ut ſacri canones docent, ſed non intelligitur de alia poteſtate quàm imperiali, quæ omnes dignitates temporales excellit. Et omnes quaſi reges mundi & tot prælati eccleſiaſtici & communitates egregiarum ciuitatum ad extirpandum ſchiſma nouiſſimum ab ipſa eccleſia efficaciter hactenus proficere non potuerunt nec poſſunt, & quis tunc diſputaſſet cum eodem magno Auguſto Ottone de ipſius iudicio ſuper contendentes ſuper Papatu ſeu peruerſo unico Papa, ſcilicet quòd niſi à deo poſſent iudicari? Vtinam talis imperator ſurgeret tẽporibus noſtris, qui nunc caſſaret ſcripturarũ multiplicitatem in hoc labyrintho, quæ adeo creuerũt propter multitudinem ſcribentium in hoc paſſu, quòd uix eos centum cameli portarent. Clarum eſt enim, quòd omnium Chriſtianorum maxime intereſt, quòd Papa à qua omnes normam uiuendi capiunt, eſſe debet mundus, nõ ſymoniacus, ſanguinolentus, adulter uel lubricus aleator, ebrioſus, uenator, ſeu uenereus uel aliter publicus barattator. Quis enim ſciens Papam eſſe talem poſſet ſine remorſu conſcientiæ aut adulationis uicio illius pedes uel manus oſculari, aut illum patrẽ

Friuolum eſſe quod dicitur Papam non niſi à deo iudicari debere.

Omnium Chriſtianorũ intereſt uicarium Chriſti utrũ eſſe bonum atq; ſanctũ

ſanctum cordialiter nominare. Igitur idem auguſtus ſic faciendo nõ peccauit uel exceſſit, quin imò ut dei miniſter optime fecit, qui fuit adeo glorioſus & conſtantis animi, deificus mundusq; imperator, ut eius magnificentia & memoriæ digna geſta teſtantur, ſicut unq; fuit aliquis Romanus patricius rex uel Auguſtus, nec tenetur forte communi utilitate ſuadente imperator uel rex Romanorum fidelitatis iuramentum præſtitum tali peruerſo Papa uel alteri eccleſiaſtico prælato, notorio peccatori uel incorrigibili obſeruare, quia ibi uirtus deficit poteſtatis ubi ſucceſſit abuſus, & iuramentũ iniquitatis uinculũ eſſe non debet, aliàs enim ſequeretur, quòd artante illo iuramento tales peruerſos & malos nemo impedire, atq; ut ad uiam redirent admonere poſſet, quòd iuri communi & rectæ rationi repugnat, & cederet in reip. detrimentum, quia non perturbando peruerſos cũ poſſis, eſt ipſos in eorum malicijs confouere, & error cui nõ reſiſtitur approbari uidetur. Cũ oporteat eſſe Epiſcopum ſine crimine quaſi diſpenſatorem dei, ſed multo magis Papam, qui omnibus præeſt. Nec credo illud obſtare, quod canoniſtæ dicunt, quòd Papa niſi à fide ſit deuius deijci non poſſit, & quòd nemo iudicat primam ſedẽ, quodq; nullus poteſt auferre authoritatem uel poteſtatem quam conferre nõ poteſt. Ex his & ſimilibus uolunt inferre, quòd nemo niſi ſolus deus Papam poteſt ſeu licet iudicare, quia Papatus omnes dignitates excellit, qa Papa eſt dei uicarius, & ipſe omnes iudicat. Quæ licet ita teneantur, tamen in putatiuo & contendente de Papatu in ſchiſmate uariantur, nec ſubſiſtunt, nec etiam intelliguntur rationabiliter in uno & indubitato Papa malefico & eccleſiam ſcandalizante, quia ille reuera proprie dici non poteſt Chriſti uicarius, quia Chriſti opera & mandata non ſequitur, nec obſeruat in detrimentum maximum omnium Chriſtianorum, & ſic non Papa ſed beſtia magis proprie appellatur, qui enim à ratione deuiat, non homo ſed animal irrationale iure cenſetur. Et talis exiſtens Papa uidetur etiam eſſe tyrannus potius quàm dei miniſter, & ideo propter eius demerita fit omnibus deſpectior & ut indignus à tanto regimine ſanctiſſimo remouetur, quia malus ſacerdos non dicitur ſacerdos, & malus Epiſcopus non eſt Epiſcopus. hoc probare uidetur authoritas euangelij, ubi dicitur Petro conditionaliter, Si diligis me paſce oues meas, ex quo inferĩ, quòd qui nõ diligit deum, ſcilicet ſi eſt ſymoniacus, adulter uel aliàs publicus peccator incorrigibilis, non meretur eſſe nec eſt uerus paſtor ouium, ſed mercenarius ſiue lupus, quia boni & ueri paſtoris officium non exercet, & ideo poterit & debet per alios iudicari.

Laus Ottonis.

An iuramẽta fidelitatis Pontifici re ge præſtitũ obſtet, quo minus corripiatur.

Axiomata atq; paradoxa canoniſtarum quomodo accipienda.

De coro-

De coronatione Gregorij, eiusq́ ſimulata pietate. Cap. XII.

Et redeundo ad propoſitum hiſtoriam cõtinuare curabo, dum prædictus Errorius apud eandem Baſilicam principis apoſtolorum ſuæ coronationis ut moris eſt inſignia reciperet me præſente, ipſe erectis oculis in cœlum fleuit præ gaudio, quodq́ per hoc ut puto alliceret homines ad credendum quòd ipſe huiuſmodi Papatus honorem ad ipſum regendum ſe minus reputaret idoneum, nec illum curaret habere, niſi ad hoc quòd dictam faceret unionem, ut totiens uouit, promiſit & iurauit, & cum ſuc ceſſiue primum teneret cõſiſtorium poſt eius coronationem, iterum quendam fecit arengam in publico coram ipſis Cardinalibus & ſuis Curialibus, necnon multitudine populi copioſa, ubi eius uota & iuramenta prædicta publice repetijt, affirmans quòd illa indubitãter executioni debitæ demandaret. Sed tunc durante trimeſtri tempore, infra quos nuncios ſuos Petrus de Luna ſuisq́ Cardinalibus iuxta eadem uota & iuramenta dirigere tenebatur, ad inuitandum eos facien dæ ſecum unioni, priuatis perſonis de quibus ei uidebatur paſſim loquebatur, perſcrutando ſubtiliter ab eis intentiones eorum, ſi forte ſibi conſulerent ne cederet ſuo Papatui. Cõſulentibus autem ſibi, quòd dictam faceret unionem, exhortabatur humiliter ut eum in hoc adiuuarent, quaſi per ipſos hæc ſtaret, ſed mittendo dictos nuncios ab eoſdem Petro & ſuis Cardinalibus uſq́ ad penultimum diem dicti trimeſtris temporis expectabat, de quo multi eorundem Cardinalium uana loquebanť, affirmantes quòd lupus lateret in fabula, ipſeq́ Errorius malicioſe tam diu dictos nuncios apud ſe retardaſſet, interim uero idẽ Errorius aliquas gratias beneficiales præſertim expectatiuas facere noluit, aſſerens ſe non fuiſſe aſſumptum ad aliud, niſi quòd unionem faceret antedictam, quod dicti Curiales licet hoc eſſet eis ſatis graue, tamen æquanimiter tollerabant, attendentes quòd forte taliter dicta per eum factis adimpleret.

Nuncij deſtinantur ad Benedictum ſuper unione ineunda, Ca. XIII.

Prædicti autem nuncij fuerũt, dominus Antonius nepos dicti Errorij, quem interim quòd in eadem ambaſiata fuit creauit Epiſcopum Bononiẽſem, & bonæ memoriæ Guilſlinus Epiſcopus Tudertinus Theſaurarius ſuus natione Normannus, & quondam Antonius de Butrio in utroq́ iure doctor excellens natione Bononienſis, qui abeuntes acceſſerunt ad Petrum

& ſuos

& ſuos Cardinales, qui tunc apud monaſteriũ ſancti Victoris Maſſiliæ reſidebant, qui eos gratanter receperunt & benigne pertractarunt, atq; poſt multa conſilia tractu longo dierum inter eos habito, quòd dicta unio per ceſſionem utriuſq; contendentium de Papatu fieret, mutuo cõcluſerunt, & edictis multis capitulis ſuper hoc negocio unionis per Petrum & ſuos Cardinales & nuncios præfatos, inter alia cõtinentibus, quòd dicta unio fieret in ciuitate Saonenſi, quæ eſt in Ripparia Ianuenſi, pro eo quòd ipſi contendentes de Papatu aut de alijs, de quibus uidetur eiſdem illic nauali ſubſidio infra paucos dies commodius q̃ per terram accedere poſſent, & tunc inſtãti feſto ſancti Michaelis menſe Septembris aut ad ultimum ad feſtum omnium ſanctorum tunc proxime ſequenti infallibiliter fieri deberet unio memorata, copia atq; uniõe prædictis oſtenſis. Infra paucos dies poſtea dictus Errorius mirari uidebatur, quòd tot erãt & tam ſubtiliter facta capitula, ut ipſe met mihi dicebat, tamen tunc aliquo alio me nõ præſente adijciendo, quòd cum hic ageretur, bona fide tales ſolennitates hoc caſu non uendicarent ſibi locum. Interim uero prædicti nũcij, uidelicet Epiſcopus Tudertinenſis & Antonius partes Galliæ ac regnum Franciæ ulterius penetrantes, demum Pariſius peruenerunt, ubi etiam aliquandiu degentes, & pacem generalem, ſcilicet unionis huiuſmodi in proximis appropinquante annũciantes, facta fuit ibidem lætitia magna in populo, & Errorium prædictum cõmunis clerus & populus Galliæ miris laudibus extollebant, dicentes eum eſſe angelum lucis pro certo, per quẽ tota languens Chriſtianitas per eandem unionem curari deberet, ipſoſq; nuncios tam regulares quàm alij magnates & proceres regni præfati ac etiam uniuerſitas ſtudij Pariſienſis plurimum honorabant, hæſitantes tamen de dicto Petro, q; ipſe ceſſionem ſui Papatus ut ſic dicam nunq; facere uellet. Prædicti autem duo nuncij Gallicis partibus in huiuſmodi eorum ambaſiata agendo diu ſteterunt, appropinquante uero uernali tempore, dictus Errorius eſtuans ad promouendum eundem ſuum nepotẽ, caro enim & ſanguis ſibi hoc reuelabant in præiudicium alienum, unde dominum Leonhardum Epiſcopum Firmanum, qui ſuus tunc ac prædicti Innocentij camerarius fuerat, ab huiuſmodi officio amouit, ac eundẽ Antonium licet abſentem ſurrogauit eidẽ, de quo Curiales ipſi murmurabant, dicentes hoc eſſe malum ſignum faciendæ unionis. Ac in principio menſis Maij aduenerunt ſolennes ambaſiatores Ianuenſes Romam in præſentia Errorij ſuorumq; Cardinalium & Curialium tunc congregatorum pro maiori parte in palatio Papali apud Baſilicam ſancti Petri, qui me præſente multum congratulabantur Angelo

& ſuis

& ſuis Cardinalibus, quòd tantum bonum Chriſtianitati languenti facere per unionem huiuſmodi decreuiſſent, exhortando eos quantũ poterant, quòd in hoc firmi perſiſterent, necà tam pio propoſito aliqualiter reſilirent, offerentes etiam in publicò eis adhoc ciuitatem Ianuenſem & eius diſtrictum, necnõ terras & oppida ipſis ſubiecta & totum poſſe eiuſdem comitatus Ianuenſis ad complementum unionis. Sed poſtq̃ dicti ambaſiatores tractando hãc rem frequenter cum Errorio & ſuis Cardinalibus, per aliquos dies Romæ memorati fuiſſent, ſuperuenerunt de nouo etiam alij notabiles ambaſiatores communitatis dictæ ciuitatis Saonenſis ſimilia facientes, & iuxta eorum poſſe offerentes prout prædicti nuncij Ianuenſes fecerunt.

Quomodo Gregorius Pontificatum retinere diſcupiens, loci faciendæ unionis iniquitatem cauſatur. Cap. XIIII.

ET quia quod quis non diligit facile cõtemnit, iam ipſe Errorius nutare uidebatur ad faciendam ibi dictam unionẽ, igitur cœpit cauſari de inſecuritate dictæ ciuitatis Saonẽſis, allegando quòd ſibi non eſſet conueniens illuc ire ad faciendam ibi dictam unionem, eo quòd tunc prædictæ ciuitates Ianua & Saona erant ſub regis Francorum regimine conſtitutæ, & quia etiã eidem Petro de Luna in ſpiritualibus obediebant. Quòd cum ſentirent dicti ambaſiatores earundem ciuitatum magnas fideiuſſiones & cautelas alias ſe facturos daturoſq; Errorio & ſuis Cardinalibus, ꝓ eorum ſecuritate nomine dictarum ciuitatum reuerenter & humiliter offerebant, adijcientes, quòd ſi ipſe Errorius & ſui Cardinales forſan in galeis ſiue nauigijs deficerent, ipſi parati eſſent eis de illis ſufficienter & liberaliter prouidere. Sed tandem præfatus Errorius tunc apte ulteriora ſubterfugia quærere non ualens, promiſſiones huiuſmodi acceptauit, eiſq; conſenſit, prædictis autem ambaſiatoribus ciuitatũ uix paratis ut ad propria redirent, ſuperuenerũt ſolennes nũcij regis Francorum & uniuerſitatis ſtudij Pariſienſis, & poſt aliquot dies aduenerunt etiam nuncij Petri de Luna & ſuorum Cardinalium ad Errorium & ſuos Cardinales, qui ſingulis diebus de mane & ſero uſq; quo dictus Errorius ab urbe receſſit, cũ adhibita diligentia poſſibili oportune & importune ſolicitarunt & exhortabantur eoſdem, ne deficerent in conceptis tractatibus ad ipſam unionem faciendam, affirmantes quòd eorum domini in pactis non deficerent ullo modo, & ſimilia multa dixerunt & etiam promiſerunt.

Nepos Pontificis ac monachus quidam à Ladislao rege ſubmiſſus, Pontificem ne unioni conſentiat adhortantur. Caput xv.

SEd dum hæc agerentur, rediit idem Antonius nepos Errorij è partibus Gallicis ad Errorium, alijs ſecum miſſis nuncijs in Gallia dimiſſis, narrando ipſo Errorio, quòd præfati Petrus & ſui Cardinales ipſum comitesq́ꝫ ſuos, q ſecum iuerant in eadem ambaſiata multum honorifice pertractarunt, tamen dictum unionis negocium cum præfato Errorio quantum potuit ſecretius impediuit, & circa hæc tẽpora ſupraſcriptus rex Ladiſlaus multa precioſa iocalia eidem Errorio pro eius menſa donauit. Ego autem audiens quòd ipſe Errorius gratanter illa recepit, indolui aduertẽs illud, Beatus uir qui excutit manum ſuam ab omni munere, timens reuera, quòd ex hoc in poſterũ ad ipſam impediendam unionem multa diſpendia orirentur. Ipſeq́ꝫ Ladislaus rex uidens quòd Errorius ipſa munera abſq́ꝫ contradictione recepit, exhilaratus eſt ſumens inde fiduciam quendam ſolo nomine religioſum ordinis fratrũ minorum quaſi in eodem ordine nouitium, qui tamen profectus erat ætate, ſed in ſeculo conuerſando multis erat ſceleribus irretitus, quem ipſe rex ſuum uocauit confeſſorem, eidem Errorio deſtinauit, qui ut ſagitta uolans in die & negocium perambulans in tenebris & dæmonium meridianum ab ipſius Errorij præſentia nõ receſſit, ſuggerens illi omnem maliciam & deceptionem dæmoniacam, quo retro & ante plenus erat, & inducendo ipſum ne faceret unionem antedictã, nec unq́ꝫ dictum Errorium dimiſit euntem de Roma ad Viterbiũ, & de Viterbio ad ciuitatem Senarum, & de Senis ad Lucam, & ibidem cõtinue ipſi aſſiſtendo, poſtea etiam recedentem de Luca & redeuntem ad ciuitatem Senenſem ſequebatur, quia uidit eum facilem ad declinandam uiam unionis, & faciliter inclinare aures ſuas ad inſaniam. Quodam uero die ego loquendo cum quodam honeſto ciue Lucano hoſpite dicti fratris, inueſtigaui cuius conditionis exiſteret, qui reſpondens ait nunq́ꝫ ſe peiorem hominem conſpexiſſe, & timore dominorũ Lucanorũ eum teneret in ſua domo, quia ipſum aliàs propter eius maliciam pro nulla re mundi pateretur in ſua domo remanere.

Cacodemonis ſeruitia

Gregorius de nepotibus extollendis cogitans multa belli flagitia atq́ꝫ ſemina ſuſcitat. Caput xvi.

Præfatus

Præfatus uero Errorius dum adhuc eſſet in urbe prædicta propoſuit, quòd uellet remouere ſupradictum Ludouicũ de Melioratis à regimine marchiæ Anchonitanæ, cui eũ dictus Innocentius duxerat præficiendum, & aliquem de ſuis nepotulis Rectorẽ dictæ prouinciæ deputare, quod ſentiens dictus Ludouicus Errorio ſubito rebellabat, necnon ciuitatem Eſculanam dictæ prouinciæ marchiæ Anchonitanæ ſatis inſignem uiolenter cepit, multa ſacrilegia & maleficia per ſe ſuosq́ complices ibi committendo, ac ciues & incolas eiuſdem ciuitatis ſuis rebus & bonis ſpoliando, & etiam multa alia caſtra in eadem prouincia per ipſum Ludouicum tunc uiolenter capta, & eorum habitatores male tractati & bonis ſuis ſpoliati fuerunt, Idem Ludouicus ciuitatem Firmanã, quæ eſt caput dictæ prouinciæ cum eius caſtro re & nomine fortiſſimo, quorum tunc & prius poſſeſſionem habuit, & multa alia, uidelicet ciuitates, oppida & caſtra in eadem prouincia conſiſtentes, & ad ipſam Romanam eccleſiam pertinentes pro ſe tenuit manu forti, ſed nouiter illa recepit & tenet à moderno domino Alexandro Papa v. ſub titulo uicariatus. Sed prædictam ciuitatem Eſculanam poſtq̃ illam in ſua poteſtate habebat infra pauca tempora ſub titulo cuiuſdam permutationis pro certis caſtris & terris præfato regi Ladislao dimiſit. Nam idem Errorius quendam nepotem ſuum Paulum nomine, quem multum diligebat, prædictæ marchiæ præficere uoluit Rectorem, ſed reſiſtente ſibi dicto Ludouico nihil profecit, & alium nepotem ſuum Marcum Viterbienſium & Montisfalconenſiũ ciuitatum de prædicta prouincia patrimonij ſancti Petri in Tuſcia Rectorẽ deputauit, & etiam quibuſdam ſuis conſanguineis quædam alia caſtra, terras & loca eiuſdem eccleſiæ regenda commiſit, & in regiſtris ſupplicationum & literarum Papalium in Romana Curia quoſdã de ſuis nepotibus, quorum unus fuit frater ordinis Prædicatorum, & alter Epiſcopus penitus in ritibus dictæ Curiæ, necnon in talibus inexpertos ſimul & inutiles prouidendo officijs huiuſmodi publicis & notabilibus, ſed cõſulendo auariciæ ſuorum præpoſuit, ad quorum quidem officiorum exercitium requirebatur potius, quòd uiri diligentiſſimi & expertiſſimi præpoſiti extitiſſent, quæ ſcilicet uidebantur eſſe certa indicia, quod idem Errorius dictam unionem facere nollet.

Paulus nepos Pontificis.

Marcus dictus Põtificis nepos.

De aperta tergiuerſatione Gregorij ſuper unione fienda, & de quæſtione ſuper ea re iuriſconſultis propoſita.

Caput XVII.

Nam circa principium menſis Iunij ipſe pater non miſericordiarum ſed diſcordiarum prædictis ſuis Cardinalibus & quibuſdam magnæ authoritatis Curialibus manifeſtauit ea, quæ intrinſecus conceperat, quoad impediendam unionem conando ſe penitus excuſare, quòd ad ipſam ciuitatem Saonenſem in ſtatutis terminis pro perficienda illic unione prædicta, nec poſſet nec de iure teneretur accedere propter defectum galearũ, pro quibus habendis ut adiecit cum Venetis adhibuiſſet magnam diligẽtiam, ſed eas uſq; tunc non potuiſſet habere. Veruntamẽ aliud reſpõſum expectaret ab ipſis, & ſi pro eo concluderetur, quòd dictas galeas haberet tempeſtiue, paratus eſſet transfretare ad eandem ciuitatem Saonenſem, ut dicta unio in ſtatuto termino fieret. Subiungẽs quòd in galeis & nauigijs Ianuenſiũ nullatenus iret, ipſos enim Ianuenſes merito ſuſpectos haberet propter antiquum odium, quod inter eoſdem Ianuenſes & Venetos erat. Per terram uero ad Saonam propter defectum facultatum ad hoc ſibi neceſſariarum tranſire non poſſet, & ſic per terram & mare ſuum tranſitum implicite denegabat. Quibus ſic ſe habentibus Errorius ſatagebat, qualiter ſub aliquo colore confi cto dictam unionem declinaret, unde ſubdole iniunxit dictis dominis Cardinalibus importune circa eum laborantibus, quod ad faciendam dictam unionem properaret, & quòd ipſi per notabiliores in utroq; iure peritos Curiales dubium per eum compoſitum recenſeri fa-

Quæſtio. cerent, quod eſt tale: Vtrum ex tractatu præſentis inſtrumenti Maſſiliæ celebrati teneamur ire ad locum Saonæ in caſu, quo non poſſumus habere galeas, nec ſtat, nec ſtetit per eos ita quòd teneamur tranſire ſine galeis, & adiecit illud, ſed aduertãt quòd ex tractatu apparet, quod eſt conuentum de galeis pro ſecuritate, quia aliàs contrahentibus locus ipſe nõ uidebatur ſecurus, neq; adijciebat, quòd ſi illi determinarent iure, quod utiq; teneretur ad Saonam ire, & in altero huiuſmodi terminorum facturus eſſet, in quod ipſi periti conſulerent, & iuxta conſcientias ſuas quoad hoc iudicarent. Hoc tamen dubium dictus Errorius non feciſſet, niſi credidiſſet quòd ipſi ſcribentes metu ipſius non eſſent auſi ſcribere ueritatem, ſcilicet determinãdo in iure quòd ipſe nihilominus obligabatur facere dictam unionẽ iuxta eius uota & iuramenta, & illæ conuentiones & pacta cum alia parte inita & firmata per ipſum. Dato igitur ordine pro bonæ memoriæ Angelũ Epiſcopum Oſtienſem tunc uice cancellarium Errorij, quòd forſan XXIIII. peritiores in Curia ſuper eodem quæſito in iure ſcripſerunt, quæ quidem ſcripta eidem Errorio infra paucos dies poſtea præſentata fuerunt, qui quidem ſcribentes penè omnes unam concluſionem

ſentiebant

ſentiebãt,ſcilicet quòd idem Errorius ſiue per mare aut per terrã quomodocunq; hoc commodius fieri poſſet,in eadem ciuitate Saonenſi in altero ipſorum terminorum eſſe deberet ad faciendam unionem antedictam,ſicut concordatum & acceptũ erat inter ipſum & eius aduerſarium.& huiuſmodi peritorum conſilijs in quodam uolumine cõſcriptis dictus Errorius uir inſtabilis dictis & factis,ſecutus nõ eſt, & non erubuit dicere,quod ipſi ſcribentes ſuſpectos haberet, tanquam magis fauentes dictis Cardinalibus q̃ ſibi, de quo etiam prædicti Cardinales & Curiales cũ hoc ſentirent dolentes,quaſi omnes tũc ſeruentius dubitabant, q̃ ꝓ certo Errorius ipſam unionẽ facere nollet.

De Vafro inſignis nequitiæ commento à Gregorio Pontificatus retinendi gratia apparato. Caput. XVIII.

QVibus ſic ſtantibus Errorius cum Ladiſlao rege per intermedias perſonas ſecrete tractauit, quòd rex ipſe exercitũ mitteret cum Nicolao & Ioanne de Columna fratribus & quibuſdam alijs Baronibus & ciuibus Romanis contra ipſam urbem fouentibus partes regis, nec feſellit opinio, nam hoſtes quadam nocte aperta eis ſecrete per aliquos porta Tiburtina urbis per eam & per duo alia loca urbem clãculo in magna multitudine ſubintrarũt,ignorantibus hoc ciuibus Romanis & Curialibus ipſis. Tamen aliqui Cardinales hoc ſubito ſentientes diſſimulatis habitibus eadem nocte urbem exierunt profecti ad Viterbiũ. Ipſe autẽ Errorius ſimulans ſe quoq; timere dictos Columnenſes & eorum complices,qui urbem furtiue ſubintrarunt, circa medium noctis de ſuo palatio ad ſæpe dictum caſtrum ſancti Angeli acceſſit,ſeq; continuit in illo,nullo Curialium niſi qui ſecum tunc erant in palatio, id ſciente, q̃ tamen ex induſtria fecit,ut ſi hoſtes præualuiſſent, atq; eum obſediſſent in caſtro, etiam ſimulate excuſatus ad faciendam dictam unionẽ in primo uel ſecundo termino huiuſmodi extitiſſet, dixiſſetq; quòd per eum non ſtaret, quominus eandem unionem faceret,ſi ĩñ eius libertate maneret.Sed in diluculo matutino rumor magnus factus fuit in urbe ipſa de ingreſſu hoſtium,qui tamen non omnes, ſed maiores capitanei & etiam exules aliqui aut relegati ab eadẽ urbe,cum ducẽtis equitibus uel circa intrarũt,ſed alij magno numero extra urbem prope portam Tiburtinam in inſidijs remanſerunt,ubi tendebant inſidias dicto Paulo de Vrſinis & ſuis armigeris,qui tunc erant in urbe,ſed pauci reſpectiue quoad multitudinem hoſtium prædictorum,ita uidelicet quòd ſi Paulus ipſe cum ſuis cõmilitonibus & alij contra ipſos

Colũnenſes Vrſinis inſidias ad portam urbis collocant.

 inſidiantes

inſidiantes illuc uenirent, illi qui intra portam erant ſimulate fugere extra dictam portam deberent, & poſtq; dictus Paulus cum ſuis eos extra eandem portam fugando ſequeretur, prædictus Nicolaus de Columna, qui erat ſuper eandem portã, mox ut Paulus exiuiſſet portas obſeruaret, quòd tunc Paulus cum ſuis illam ingredi & manus eorundem inſidiantium nullatenus euadere poſſet. Et ita etiam factum fuiſſet, niſi res huiuſmodi quaſi miraculoſe ad alium euentum ſubito perueniſſet. Pleriq; autem ſatellites, qui cum Ioanne de Columna & alijs capitaneis necnon exulibus ipſis urbem nocte intrauerunt, neſcientes manus ſuas à rapinis & uiolentijs cohibere, ſtatim monaſteriũ ſanctæ Bibianæ prope dictam portam Tiburtinam eadem nocte uiolenter intrarunt, Abbatiſſam & moniales eiuſdem monaſterij more ſuo inhoneſte tractando, quas etiam quibuſdam iocalibus & ſuppellectilibus ſpoliarunt. Quo facto etiam aliquas tabernas in uicino conſiſtentes ui aperiendo & ingrediendo uinum exhauſerunt, & comeſtibilia ibidem reperta inuitis dominis deuorarunt, quæ audiẽs dictus Ioannes de Columna uehementer contra ipſos ſatellites iratus eſt, & uix compeſcere potuit ut ab inceptis moleſtijs reſilirẽt. Vnde ſtatim rumor popularis magis inualuit in urbe. Sed ipſe Paulus & pleriq; armigeri cum eis ac etiam multi de populo contra eoſdem hoſtes in aurora uiriliter procedentes, eos repente ſagittis, lapidibus proſtrauerũt. Quod ſic contigit in cauſa fuit uir ſtrenuus tunc præſens in bello cum ipſo Paulo nomine Hartmãnus, qui ſecum habuit plures ſocios armigeros audaces, imò potius temerarios, qui aliquos ex hoſtibus extra dictam portam fugientes, ad locum, ubi fuerunt poſitæ inſidiæ incaute perſequebantur, ſed diſcoopertis inſidijs perſequẽtes ipſi per aduerſarios ilico captiuati & detenti fuerunt, credebant tamen inſidiatores, quòd ipſe Paulus inter captiuos eſſet. Vnde dominus Nicolaus de Columna etiam eadem opinione ſeductus, interuallum dictarum portarum de alto ad ima præcipitauit, ſicq; illi ex hoſtibus, qui intus urbem erant, nec fugere per portam, nec ſocij eorum, qui extra erant, ipſis ſuccurrere potuerunt. Quamobrem domini Nicolaus & Ioannes prædicti & quidam alij Barones & nobiles ciues Romani ac etiam exules, dictuſq; miles, quẽ præfatus rex Ladiſlaus olim in ipſa urbe creauerat, per Paulũ eiuſq; ſocios capti & ducti fuerunt per urbẽ ſatis miſere etiam per pontem ſancti Angeli ante caſtrum in quo erat Errorius, & eo uidente, qui author & inuentor fuit tantæ maliciæ, ut ſic in ſuo ſtatu poſſet per fas & nephas quomodolibet remanere. qui quidem miles poſtea infra paucos dies ligatis manibus retro, & pedibus ſubtus iumentum ſuper quo ſedebat, per medium urbis uſq; ad

Licentia militaris.

Inſidiatores circumuenti.

Miles decapitatus.

Capitoliũ

Capitolium circa meridiem ducebatur,& in eculeo quaſi totaliter cõfractus demum capitali ſentẽtia uitam miſeram gladio ultore finiuit. Sicq́ etiã Ricardus de Sangreis ſupradictus tũc etiam captus & per aliquot dies in carcere Capitolij detentus, poſtremo decapitatus occubuit,cuius ſororem dictus Paulus habebat in uxorem. Ecce quales fructus parturit ambitio & auiditas dominandi. Quòd autem ſic cõtigit Errorium & regem in ſimul conſpirare cauſa fuit, quòd uterq́ ipſorum habuit ſecum contendentem ſuper eius principatu,Errorius ſcilicet Petrum de Luna ſuper Papatu, & rex Ladiſlaus dominũ Ludouicum ducem Andegauenſem ſuper regno Siciliæ, exiſtimantes Errorius & Ladiſlaus quòd funiculus duplex difficile rumpatur, ſed contra diuinam ordinationem aſtutia non ſuffragatur humana.

De diſceſſu Gregorij ab urbe,& his quæ tunc Viterbij ſuper unione acta fuerunt. Caput XIX.

HIs hoſtibus uictis atq́ profligatis Errorius ſimulans uictoribus, ac ipſis Cardinalibus & Curialibus, qui de huiuſmodi uictoria primum lætabantur, ſe congaudere & in præmium tantæ uictoriæ prædictum Paulum de Vrſinis remunerando, quandam conceſſionem ſibi ad certum tempus factam per præfatum Innocentium de ciuitate Narnienſi & eius comitatu ad longiorem terminum prorogauit, quamuis idem Paulus ciuitatem Tuſcanenſem haud longe diſtantem à Viterbio ad ipſam Romanam eccleſiam pertinentem, nec diu ante ut amicus ingreſſus,eius ciues & incolas utriuſq́ ſexus in hoc improuiſos rebus ſuis ſpoliando & male tractando pro ſe retinuiſſet. Itemq́ Paulus de liberatione dictorum captiuorum quos tunc in diuerſis locis detinebat, aliqua oppida & caſtra, necnon magnas pecuniarum ſummas ab eiſdem captiuis exegit, ex quo creuit in diuitijs in tantum,quòd etiam ipſe Errorius quamuis huiuſmodi temporale dominium in urbe tunc teneret,de Paulo tunc tẽporis dubitaret,nec auderet in ipſa urbe diutius remanere. Quamobrem decreuit de Roma in fine menſis Iunij abire,& ad Viterbium declinare,ſed allectus per quoſdam Curiales, ne tantopere feſtinaret multas illic res miſit cum beſtijs oneratis in principio menſis Iulij,ut ſic in ſuſpenſo eoſdem Curiales teneret, æſtimaturos quòd utiq́ dictam unionem ſtatuto termino facere uellet,quòd tamen ut docuit experientia in corde non habebat,nam uſq́ ad uigiliam ſancti Laurentij martyris in urbe remanſit, quẽ ab urbe tunc recedentem de mane tempeſtiue Romani ſub pallio ſericeo ut moris eſt extra portam urbis con-

bis conduxerunt multum honorifice, & multi eorũ palmas habentes in manibus prae laeticia, credentes quòd reuera praedictam unionem facere uellet, cum plurimum honorabãt. Venit autem cum ſua Curia circa feſtum aſſumptionis Mariae uirginis ad Viterbiũ, illic ad xx. dies cõquieuit, interim multum ſolicitabatur per ſuos Cardinales & ambaſiatores, qui de longinquis partibus illic uenerant, ad continuandum iter ſuũ uerſus Saonam, quia primus terminus inſtabat, quo unio fieri debuit, ſed ad haec ſatis ambigue reſpondit, modo per paupertatem, quia non haberet ſumptus neceſſarios pro uia, nunc uero per alios exquiſitos modos ſe ne progrederetur ulterius excuſabat. Videntes autem Cardinales, quòd eorum labores & ſolicitationes cũ Errorio in hac parte fruſtrarentur effectu, cum ipſe non eſſet inclinatus reuera ad faciendam unionem, ſed ad magnificandum & exultandum eius nepotes tota eius intentio uerſaretur, cum eodem Errorio concluſerunt, quòd tribus ex eiſdem nepotibus laicis aliqua caſtra & terras eccleſiae pro ſe & eorum haeredibus in feudum concederet, tunc expreſſa & ad hoc perficiendum ne Errorius ullas conceſſiones per ſe ipſum faciendo ſuis uideretur uotis & iuramentis obuiare, praedictis Cardinalibus ſub ficto colore remunerandi eoſdem nepotes & inueſtiendi de ciuitatibus caſtris & terris eccleſiae per infraſcriptas ſuas literas conceſſerat facultatem, non erubeſcens neq; timens per hoc deũ offendere, profecto cum foret illicitum ad pactum ſiue commercium illud ducere, quod gratis & ſponte fieri debuit per eundem in fauorẽ catholicae fidei iuxta eius uota & iuramenta. Nec his contenti praedicti domini Cardinales, ſed illicitis adinuentionibus dicti Errorij annuentes, ne unionis effectus per Erroriũ aliàs impediretur annuerũt quod pro ſumptibus per ipſum habendis repente omnes Epiſcopi & Abbates in partibus Italiae conſtituti, qui camerae apoſtolicae pro cõmuni ſeruitio uel alias erant obnoxij, artarentẽ ſub poena priuationis ſuarum dignitatum ad ſatisfaciendum infra breue tempus camerae de pecuniarum ſummis in quibus obligabantur, eidẽ mittebantur. Etiã tunc ad diuerſas prouincias Italiae de mandato Errorij à Curia diuerſi nuncij ad collectores fructuum camerae praedictae ut recollectas per eos pro ipſa camera & plures colligerent pecunias quas poſſent habere, illaſq; ſubito ad eandem cameram deſtinarent. Per hoc & quoſdã alios exquiſitos modos repente multae pecuniarum quantitates poenoſe nimis à pleriſq; extortae continue inferebantur in abyſſum camerae, quae ad manus dicti Errorij deuenerunt. Tenor autem literarũ ipſius Errorij Cardinales ſuper eadem remuneratione facienda, praedictis ſuis nepotibus laicis conceſſarum ſequitur & eſt talis.

Tenor

Tenor conceſſionis atq; donationis nepotibus Pontificis factæ, in qua meras nugas imò apertiſſima mendacia clariſſime uideas. Caput XX.

VEnerabilibus fratribus noſtris collegio ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus ſalutẽ &c. etſi uota ſupplicum, quæ honeſtatem æquitatemq; reſpiciunt, fauore congruo proſequimur, illa tamen curis propenſioribus nos decet amplecti, quæ ueſtræ circumſpectionis induſtria tanq; manantia à fonte gratitudinis petit ſuppliciter exaudiri. Exhibita ſi quid nobis nuper pro parte ueſtra petitio continebat, quòd dilecti filij nobiles uiri Marcus Frãciſcus & Paulus, dilecti filij nobilis uiri Philippi Corarij Domicelli de Venetijs nati, Caſtellànæ diœceſis, nepoteſq; noſtri Domicelli erga extirpationẽ lugubris diuturniq; ſchiſmatis, qđ Chriſtianum populum diris & horrendo calamitatibus tanto tempore lacrimabiliter iam afflixit & affligere non deſiſtit, necnon proſecutione deſiderabilis unionis in dei eccleſia & conſeruatione & incremẽto ſtatus & honoris præfatæ eccleſiæ atq; noſtro ſalute & tuitione noſtrorum & eiuſdem eccleſiæ ſubditorum curis aſſiduis & laborioſis ſudoribus nullis parcendo periculis & impenſis expoſuerunt iugiter ſe & ſua, & propter aſſumptionem noſtram ad apicem ſummi apoſtolatus ſtatum eorum mutauerint uſq; adeo, quod ad patrimonium eorum ſine ignominia redire non ualeant, & ſicut eadem petitio ſubiungebat præmiſſis & nonnullis alijs rationabilibus cauſis animos ueſtros mouentibus, circumſpectioni ueſtræ uidetur expediens & condignum per ſedem apoſtolicam Marco Franciſco & Paulo ſupradictis, ut ſtatum eorum decentius manutenere ualeant, de alicuius ſubuentionis auxilio & etiam remunerationis impendio ſalubriter prouideri. Quare pro parte ueſtra nobis fuerit humiliter ſupplicatum, ut eidem circumſpectioni ueſtræ remunerandi Marcum Franciſcum & Paulum præfatos & eorum quemlibet, necnon filios deſcendentes & poſteros ac hæredes de & ſuper bonis rebus & iuribus, etiam ciuitatibus, terris, caſtris & locis ad nos & eandem eccleſiam ſpectantibus ac pertinentibus ubicunq; ſituatis, cum eorum comitatibus, territorijs, diſtrictibus, iuribus & pertinentijs, ac mero & mixto imperio gladij poteſtate & omnimoda temporali iuriſdictione, quæ ibidem per eandem eccleſiam fuerunt exercitata ſeu exerceri potuerunt & debuerũt, & ſub illis titulis tempore ſeu ad tempus, necnon pactis modis conditionibus canone affictu uel cenſu ſeu aliàs prout eidem circumſpectioni ueſtræ expedire ſeu utile uidebitur, & ſuper his contractus & in-

Vide colorẽ atq; præſtigia.

Prob deum atq; hominum fidem qualis fucus rei parum honeſte prætenditur.

Ecce fecit eis magna qui potens eſt. Et indulgentia eius à progenie in progenies.

Papa utitur gladio & omnimoda tẽporalitate, quæ in locũ ſpiritualitatis ſucceſſit.

ſtrumenta noſtro & eccleſiæ præfatæ ad ſucceſſorum noſtrorum Romanorũ Pontificum nomine cum membris & capitulis de iure uel cõſuetudine in talibus oportunis celebrandi, & quæcunq; alia exequendi, quæ talis materia poſtularet, ipſiq; circumſpectioni utile uideret, facultatem plenam & liberam concedere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos itaq; uolentes ueſtris uotis annuere, & ut religioſis ſemper tribuatur prompta occaſio circa præmiſſa & ſimilia tam ſedulo & fideliter inſudandi authoritate apoſtolica, ex certa etiam ſciẽtia de conſilio & aſſenſu ueſtris Marcum Franciſcum & Paulum, necnon filios ſucceſſores poſteros & hæredes ipſorum communiter uel diuiſim remunerandi, ipſiſq; pro eis eorumq; filijs ſucceſſoribus ac hæredibus de bonis mobilibus & immobilibus iuribus & actiõibus præfatæ eccleſiæ, ciuitatibus, terris, caſtris & locis ad nos & eandem eccleſiam ſpectãtibus ubicunq; ſituatis, cum eorum comitatibus, territorijs atq; diſtrictibus, iuribus & pertinentijs mero & mixto imperio gladij poteſtate & iuriſdictione eorundem omnimoda in perpetuum uel ad tempus ſub illis modis, pactis, conditionibus, etiam ſub cenſu canone uel afflictu ſeu aliàs, prout quemadmodũ eidem circũſpectioni ueſtræ, cuius ſuper hoc quo ad præfatã eccleſiã oneramus expedire uidebitur noſtro & eccleſiæ præfatæ ac ſucceſſorum noſtrorum Romanorũ Pontificum nomine aſſignandi, deputandi & concedendi, dandi, retribuendi, necnon aſſignari, concedi, dari & tribui, mandandi & faciendi, ac etiam contractus & inſtrumenta ſuper his & dependentibus, & connexis cum membris & capitulis ac ſubſtantialitatibus de iure & conſuetudine in talibus oportunis. Ita quòd de iure ſubſiſtant celebrandi ac faciendi contradictores quoslibet & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendi & inuocandi quoties fuerit oportunum auxilij brachij ſecularis, & quicunq; aliàs prouidendi, gerendi, mandandi, & exequendi, quæ in præmiſſis uel eorũ aliquo cõnexis uel dependentibus uel aliquod eorundem neceſſaria uel utilia præfatæ circumſpectioni uiſa fuerint, plenam & liberam concedimus facultatem, ratum & gratum habituri quicq; p circumſpectionem ueſtram factũ fuerit in præmiſſis, idq; faciemus authore domino uſq; ad ſatisfactionem condignam inuiolabiliter obſeruari, eaq; exnunc prout extunc mandamus & uolumus ſcientia & authoritate præfatis per omnes & ſingulos protinus obſeruari. Datum Viterbij quarto kalendas Septembris, Pontificatus noſtri anno primo.

Libenter his uotis annuit Põtifex procurator in rẽ ſuã factus.

Vide quàm copioſi atq; liberales ſumus in noſtros.

Nepotes Pontificis diui Petri hæredes facti pingui ditanť patrimonio. Itẽ quo pacto uariæ fraudes ad unionẽ impediendã adhibitæ fuerunt. Caput XXI.

Ecce

Ecce ſi nullum aliud ueſtigiũ aut indiciũ appareret ad hoc quod Errorius unionem facere noluit, ſed omnem occaſionem eam impediendi quæſiuit, nunquam illud dictæ literæ probarent, quia pure & ſimpliciter eandem ceſſionem ſicut dictæ literæ probarent totiens uouit & iurauit, facere debuit, ſed eam uendere uoluit, ut ſic de proprietatibus & iuribus eiuſdem eccleſiæ Romanæ principes & potẽtes ſeculi efficeret ſuos nepotes laicos. His itaque pactis præfatus Errorius ad ciuitatẽ Senarum cum ſua Curia de Viterbio tranſitum fecit, ubi in principio menſis Septembris peruenit, & ibi cum magna frequentia & lætitia populi utriuſque ſexus ac impenſo ei grandi honore receptus extitit, & illic uſque ad menſem Ianuarij remanſit, & nihilominus ad decipiendum populum ſingulis diebus cum Cardinalibus & ambaſiatoribus ad eũ de diuerſis regnis & prouincijs propterea deſignatis, tractatus habuit ſuper faciẽda unione per ipſum, ſed quia nihil factum eſt durabile, cum timeret, quòd difficile ſibi foret, dictos Cardinales ulterius per talia figmenta tenere, quin tandem eius intentionem ſubtiliter rimarentur, ad aliam uiã ad illudendum eis ſe cõuertit, uidelicet quòd eius Papatui cedere uellet ibidem in Senis, dum tamen pro eius ſtatu tenẽdo ſibi remanerẽt quoaduiueret patriarchatus Conſtantinopolitanus, quem habuit ante eius Papatum, ac Motanenſis & Coronenſis eccleſiæ in dominio Venetorum, & quidam prioratus, quæ antequam eligebatur in Papam etiam tenebat in cõmendam, necnon eccleſiam Eboraceñ. in Anglia, quæ tunc uacare dicebatur, quamuis non uacaret. Dictique ſui nepotes laici tres, uidelicet per eoſdem Cardinales infeudarentẽ de ipſis terris Romanorũ eccleſiæ memoratæ, ita quòd uni fauentes in Flamminea, alteri Farliuienſi in Romandiola, & tertio Vobetani in prouincia dicti patrimõij beati Petri in Tuſcia, ciuitates ualde notabiles, cum earum comitatibus, & Cornetum quod eſt oppidum magnum & populoſum ad inſtar ciuitatis, & habet fertiliſſimum territoriũ & portum maris in eadem prouincia patrimonij cum gladij poteſtate, & mero ac mixto imperio in perpetuum concederentur pro ipſis & hæredibus ac ſucceſſoribus eorundem, ac cum hoc etiam aliqua alia caſtra & dominia Rauennatis & aliquarum cathedralium eccleſiarũ ultra hoc pro ſe uolebant habere. Quod demum ipſi Cardinales decreuerunt facere, & ſuper hoc eorum literæ atque proceſſus confecti fuerunt, ſed neſcio quo ſuperueniente poſtea caſu ſiniſtro effectu caruerunt, unde ipſa unio ſubſecuta non fuit. Adueniente tunc primo termino, ſcilicet feſto ſancti Michaelis, Petrus de Luna & ſui Cardinales prædicti de Maſſilia ad Saonam iam uenerant, ubi Errorij & ſuorũ

Cornetum nepotibus obijcitur.

Cardinalium præſtolabantur aduentum, ſed fruſtra, illuc enim ire dictus Errorius non curabat, ſed fingens ſe habere timorem illuc eundi, & palliando uerba ſua dicebat ſuis Cardinalibus eum continue ſo licitantibus, ut iret ulterius prout facere tenebatur, quòd ipſe paratus eſſet dictam unionem facere, & totum eius deſiderium in hoc pendere, ſed nollet ſe ſuosq; Curiales temerarie deſtruere, quodq; uerſus partes Lombardiæ tranſitum facere, & ſub cōductu marchionis Mōtisferrati in partibus Pedemontium remanere tamdiu uellet, donec ad perfectam concluſionē prædictæ unionis cum prædictis Petro & ſuis Cardinalibus mediante dicto marchione deueniret, & ſuper hoc nuncios ad eundem marchionem de ciuitate Senenſi prædicta tranſmiſit, qui redeuntes ab eodem marchione Errorio retulerunt, quòd præfatus marchio paratus eſſet omnia facere ſibi poſſibilia pro ipſo Errorio & ſuis Cardinalibus ad hoc, quod eo mediante unio fieret, multa quoq; alia obtulit ſe facturum & procuraturum in hac parte utilia & optima, quæ oblata ipſe Errorius parumper differens, quod meliorem uiam ad faciendum dictam unionem inuenire ſperaret publice affirmauit. Certe non uidebatur poſſibile, quòd dictus Errorius per mare uel terrā cū ſua Curia per eandem Lombardiā tūc præcipue uehementibus guerris ubiq; locorum & innumeris raptoribus occupatam abſq; ſui ſuorumq; Curialium grauiſſimo periculo ad terras eiuſdem marchionis prouenire potuiſſet. Ipſe autē nunquam in mēte habuit, quòd illuc ire uellet. Cum autem Errorius de Viterbio ueniens ciuitatem Senarum ut præfertur ingrederetur, obuiam ei uenit Epiſcopus Tudertinenſis, quem cum Antonio de Butrio ad Petrum de Luna ſuumq; collegium ad faciendam unionem deſtinauerat, reuerſus nouiter de partibus Gallicis, quem Errorius toruo uultu aſpiciens ei non loquebatur, ac ſi contra ipſum acriter deliquiſſet, de quo ipſe Epiſcopus, qui ſperabat de pactis in eadē ambaſiata pro ipſo Errorio meritum reportare, fuit nimium contriſtatus, & quia ipſum oportuit de proprijs ſuis bonis perſoluere ſummam ccccc. florenorum auri, quos mutuo recepit pro ſuis ſuorumq; ſociorum & familiarium expēſis ambaſiatam tunc in Francia agendo, in qua iuxta pacta & promiſſa per cameram releuari debebat, unde cumulatis taliter doloribus in eo & aliquandiu ægrotādo deceſſit. Prædictus autem Antonius de Butrio relatione per ipſum facta de illis quæ in partibus Gallicis unà cum Epiſcopo Tudertino peregerat prædicto Errorio in Senis, cum per eum nō reciperetur honeſte, ex hoc dedignatus redijt ad propria & ſtatim moritur. Interim uero Errorius & Antonius eius nepos & camerarius ſatagebāt undiq; pecunias acquirere per fas & nephas, de neceſſarijs

Antonius de Butrio moritur.

neceſſarijs ſumptibus ut dicebāt ad faciendā dictam unionē. Et quia tūc tēporis quidā nuncij Angliæ regis in Curia Errorij erant præſentes, qui uehementer inſtabant penes ipſum Errorium, quòd reuerendum patrem dominum Ricardum Epiſcopum Saresbirienſem tunc Archiepiſcopum Eboracenſem, magiſtrum in ſacra pagina, uirū ualde induſtrium & uirtuoſum, tunc à Curia abſentem, de Metropoli Eboracenſis ad eius ſuffraganeum, ſcilicet eccleſiam Saresbirienſem transferret, quòd factum fuit per Errorium reclamantibus & inuitis eiſdē Cardinalibus, paucis exceptis intuitu magnæ ſummæ pecuniæ ob hæc dictæ cameræ perſolutæ, licet eidē Epiſcopo tunc Archiepiſcopo non diu ante ipſe Errorius bona fide promiſiſſet, quòd eum de ipſa Metropoli ad inſtantiam cuiuſcunq; non transferret, quòd palliauit dicens, quòd rex Angliæ præfatum Epiſcopum tunc Archiepiſcopum non diligeret, ſed uellet quòd alter ſibi dilectus præficeretur Eboracenſis eccleſiæ in paſtorem.

Submouetur dignus à Metropoli interædētibus Plutone, Mercurio ac Mãmona.

Quibus ingenijs Gregorius pecunias corraſerit. Caput. XXII.

PRæterea cum Errorius ab eadem urbe recederet, & opus eſſet loco ſui uicarium ad regendam urbem in ſpiritualibus & temporalibus in ipſius abſentia deputare, dominū Petrum de Hambaldis diaconum Cardinalē natione Romanū, ætate iuuenem, & eundem Paulum de Vrſinis ad regimē huiuſmodi deputauit, & cum eodem Paulo de certa pecuniæ ſumma cōuenit infra tempus trimeſtre ſibi miniſtrāda. Et quia camera tunc forte multa pecunia referta nō fuerat, cum Florentinis practicauit, quòd ipſi pecuniam, ſcilicet decem milia florenorum auri eidem Paulo ſolucrent, ita tamen quòd pro eadem ſumma à clero in dominijs Florentinorum exiſtente, triplum exigere poſſent. Sed quòd iſta conceſſio fuerit iuſta non uidetur. ſcio enim quòd ex illa conceſſione multa fuerunt anormala ſubſecuta, dictiq; uicarij in urbe interim gabellas duplicarunt, quod in maximum ipſius urbis præiudicium redundabat, necnon etiam à clero eiuſdem urbis magnas pecuniarū ſummas quomodolibet exegerunt, quæ in utilitatem armigerorum, qui cum eodē Paulo militabant, ut uerba ſonabant, conuerſæ fuerūt. Et quia forſan propter uarias calamitates ac damna, quæ urbicolæ & eccleſiaſticæ perſonæ ſeculares & regulares tunc & ante per aliqua tempora ſuſtinuerunt, multæ ex perſonis eiſdem impoſitas ipſis tallias iuxta ratam in prompta pecunia ſoluere non ualebant, non habito reſpectu ad deum & religionem locum tenentes Errorij in urbe capi, & tamdiu in

Proh Iupiter quale pactum.

Opera Antichriſti, nā Turci humanius agunt, religioni uix adeo pernicioſi hoſtes

carceribus detineri fecerunt, donec impoſitas eis tallias ſoluerent, & eo prætextu ualde multi calices, cruces, candelabra & alia precioſa iocalia aurea & argentea eccleſiarum & monaſteriorum urbis in monetam conflata fuerunt, uendebantur & impignorabant̃ multæ domus, uineæ ac aliæ meliores poſſeſſiones huiuſmodi eccleſiarum & monaſteriorum. Et tunc practicabantur per ipſos uicarios illa quæ legunt̃ in iure, uidelicet nunquid uero hæc ipſa uenerabilia dei templa à præſidentis manu ſacrilega diebus noſtris nepharia uiolata proclamant, & urbis ipſius retroactis temporibus incorrupta cõſtantia, ſub regentis eo tempo re nephando ſubuerſa regimine. Et quia hæc mala quæ ſub regimine pro Errorio regentium taliter perpetrabantur, ipſe Errorius & Romani ciues diſſimularunt, forſan iuſto dei iudicio, quare aduerſitates plurimas prædicti urbicolæ propterea poſtea ſuſtinuerunt, ſcilicet famem & rerum penuriam, & alia multa mala, quæ guerræ producere conſueuerunt, & infra breue temporis ſpacium ipſa Roma ad manus dicti regis Ladiſlai annuente præfato Paulo deuenit, quo facto dominus Cardinalis repentine inde recedens, ad ciuitatem Senenſem declinauit, ubi per plures menſes morabatur, etiam diſſimulãte ac tacente imò cõniuentibus oculis hæc oĩa Errorio tranſeũte.

Duo præſtantiſſimi Cardinales Gregorium ad bonam frugem permouere atq; reducere non poſſunt. Itẽ nouas artes cõminiſcit̃ Gregorius, quo imperium retineat. Cap. XXIII.

PRæterea ea tempeſtate reuerendiſſimus pater dominus Franciſcus tituli ſanctorum quatuor coronatorum presbyter Cardinalis, quem etiam dictus Innocentius creauerat in Cardinalem, & deputauit adminiſtratorẽ eccleſiæ Burdegalenſis, cui permultos annos diu ante ut Archiepiſcopus præſidebat, licet tunc eſſet ualde remote à partibus Italiæ, & in Aquitania cõſtitutus & ualde ſenex, ſentiens quòd dicta unio fieri debebat, ut præfertur cum peritorum in ſacra Theologia & utroq; iure, cum decenti comitiua debito tempore ad Saonam per mare peruenit, ubi fuit per Petrum de Luna & ſuos Cardinales honorifice receptus. Ipſe autem aduentum præfati Errorij prope Saonam in mari in galea, in qua illuc uenerat, diutius præſtolando, credens quòd Errorius etiam illuc ueniret, ſed tandem de contrario informatus, ad Errorium tunc exiſtentem in ciuitate Senarum laborioſe peruenit, exiſtimans ipſum Errorium ſi inducere poſſet rationibus & perſuaſionibus, quòd ſaltem ſuam cunctationem purgando iter ulterius continuaret uerſus Saonam

ita quòd ibi eſſet in ultimo termino ad faciendam dictam unionem perſonaliter conſtitutus. Sed ipſe dominus Cardinalis in hoc profice re non potuit, quamuis multum importune ſero & mane apud Errorium ſuper hoc diligentiſſime laboraret. Præterea Cardinalis Quinque eccleſienſis natione Hungarus, quem dictus Vrbanus in primordio ſui pontificatus creauit, & qui nunquam fuit in eadem Curia Romana poſtq; ſchiſma incepit, ſed in partibus Hungariæ tunc continuo remanſit, qui erat decrepitus, cum autẽ audiret, quòd dicta unio fieri deberet, de ipſa Hungaria uenit cum magna & decenti comitiua ad Errorium. Contigit autem hunc Cardinalem in ciuitate Senarum grauiter infirmari, ſed conſpiciens quòd Errorius & Antonius camerarius, necnon Paulus nepotes eiuſdem Errorij ſolicitam cuſtodiam facerent ad perſcrutandum per pleroſq; miniſtros eorum, quando dictus Cardinalis expiraret, ut ipſi eius equos, pecunias, iocalia & alia bona quæ ibidem habebat pro ſe recipere poſſent, unde dedignatus uehementer fertur dixiſſe: Vere nec me nec bona mea habebitis, nec mora quoddam ligneum uehiculum in quo portaretur ſibi præparari, & in illo uſq; Venetias ſe portari fecerat hiemali tempore, ipſius Errorij dum recederet licẽtia ſeu benedictione nec habita nec petita, ſed infra breue tempus poſtea perueniens ad propria deceſſit. Tandẽ uero idem Errorius ne penitus uideretur uelle ab unione recedere, multas alias cautelas adhibuit, qualiter omnes tam Cardinales quàm Curiales ac etiam communem populum deciperet, ita quod crederẽt ip[illegible] utiq; uelle dictam unionem facere, quamuis hoc in mente non habe[illegible]t, ita quòd alijs de nocte quieſcentibus ipſe uigilabat cogitans qualiter aliquod comptum ſeu coloratum mendacium inueniret, per quod manefacto excuſaretur, quomodo per eum non ſtaret quòd dicta unio non fiebat. Vnde aliquos ſibi alliciendo mendicantiũ ordinum fratres illis uaria promiſit, inducendo eos quòd infra Miſſarum ſolennia Senis & in aliquibus alijs locis inſignibus, in eorum ſermonibus ipſum Errorium excuſarent coram populo ibidem ad audiendum miſſarum & alia diuina officia congregato, quare dictam unionem cum eiſdem Petro & ſuis Cardinalibus non feciſſet, nec ſalua cõſcientia facere poſſet, & ſuper hoc ad minus decem & octo articulos fecerat publicari, & inter alios huiuſmodi articulos cauebatur, quòd ſi ipſe eius papatui cederet ad illum finem, ut exinde ipſa unio ſequeretur, in hoc mortaliter peccaret, necnõ animam ſuam pœnis infernalibus cruciandam perpetuo condemnaret, propter animarum pericula & etiam grandia corporum diſpendia, quæ inde ueriſimiliter conſequi poſſent, & multa alia figmenta continent huiuſmodi articuli, quibus

Vide quid faciat & quàm irrequieta ſit dominandi libido.

Nouæ artes imperij retinendi.

bus multos ſimplices hi prædicatores decipiendo traxerũt ad opinionem falſam qualitercunq; Errorij fouendam. Ipſi ſermocinantes addiderunt dicendo populo, quòd ſi Errorius & ſui Cardinales & Curiales iuiſſent ſeu irent ad Saonam omnes fuiſſent aut eſſent filij mortis prout Petrus & ſui Cardinales ac eorum complices infallibiliter ordinaſſent. Quòd hoc etiam dictus Errorius illudendo ſuis Cardinalibus & Curialibus ac communi populo ut utiq; crederent ipſum dictã uelle facere unionem cum ſecure illud fieri poſſet, decreuit fieri quaſdam proceſſiones ſolennes per eandem ciuitatem Senarum, quibus ipſe coopertus hypocriſis pallio, & ſui Cardinales præfati ſe immiſcuerunt, & prædictas proceſſiones ſequentibus largas peccatorum indulgentias dedit, ac quaſdam literas ſuas ſuper ſimilibus indulgẽtijs & peccatorum remiſſionibus fabricatos orantibus quòd dicta fieret unio per pleroſq; Beguardos, necnon eorundem mendicantium fratres ad diuerſa regna & prouincias fecerat apportari. Necnon iterum quærendo nouas excuſationes qualiter ipſos Cardinales & Curiales ac populum deciperet, ut crederent quòd ipſe dictam unionem facere uellet, eo prætextu cum domino qui ciuitatem Lucanam tunc rexit p medias perſonas diu tractauit, quòd ei annueret quòd illuc accedere, necnon ibi ſtare per aliqua tempora poſſet ad tractandum interim cũ Petro de Luna & ſuis Cardinalibus, qui illinc ad duas dietas uel circa tunc degebãt ſuper finali concluſione unionis eiuſdem. Et cum dictus regens Errorio in hoc annuiſſet, Errorius ad prorogandum eius acceſſum ad dictam ciuitatem Lucanam malicioſe nouas cautelas inuenit, & iungens ſe de ipſo dubitare, multos obſides ſibi dari pro eius ſecuritate poſtulabat. De quo uehementer admiratus regens fertur dixiſſe, miror quare me tentat iſte dominus, rogat enim me quòd uenire poſſit ad terras meas, & de me dubitare uidetur, conuocato ſuper hoc conſilio magis notabilium ciuium Lucanorum, & qualiter hoc caſu procedere poſſet, cum ipſis inito conſilio decretum fuit, quòd ſibi audacter daret XL. uel L. de ciuibus Lucanorũ in obſtagium ſi eos utiq; uellet habere, ne tantum bonum dictæ unionis ſi ſecus fieret negligeretur. Quòd dictus regẽs acceptauit, & ſic ſe facturum omnino ad nutum dicti Errorij, ei reſcripſit. Credidit tamen ipſe Errorius quòd hoc prædictus regens non faceret, ſicq; unionis huiuſmodi negocium inſiceret per obliquum, ſed ipſius oppoſitum repериens, id Errorius ſuper hoc nuncijs reſpondere dicti domini ad eum deſtinatos per dies aliquot retardauit, qui deinde nouam cautelam adinuenit, dicens quòd non in ciuitate Lucana ſed in caſtro Petraſancta, quod eſt dicti regẽtis fortiſſimum, nec longe diſtans à mari ad tractandum ſuper eadem unione

Operæpreciũ eſt animaduertere qua ratione ſub ſpecie pietatis atq; religionis mortales fallant hi præſtigiatores omnium peſſimi atq; pernicioſiſsimi.

Alius maliciæ prætextus.

En quomõ dominandi cæca captus libidine ex hoc in aliud rapitur Gregorius, ubiq; Siſyphi ſaxum ceruicibus ſuis imminere credens.

unione uellet ſtare pro eius ſecuritate, ſi illud dictus dominus Lucanorum ad hoc tradere uellet, licet dictæ unioni non intenderet, ſed ut tam his uelamentis eluderet. At oblata ei huiuſmodi facultate ab eodem regente abſq; obſidibus in principio menſis Ianuarij cum Cardinalibus ad ciuitatē Lucanam ingreſſus, fruſtra terendo tēpus ad principium menſis Auguſti. Interea multorum principum ambaſiatores ad Errorium illuc miſſi multis adhortationibus orationibusq; publicis conati ſunt eundem cum Petro de Luna componere. Ita ciuitates quoq; Italiæ, Florentini, Peruſini & Bononienſes precabantur, quod tandem moras tolleret, ut expectata iamdiu unio fieret, coram Petro de Luna & ſuis Cardinalibus proponendo, quæ ad hoc facerent. At finaliter per ipſos contendentes de Papatu fuit hinc inde concluſum, ut prædictis oratoribus reſpondendum eſſet à quolibet, quòd uidelicet per eum non ſtaret quin dicta unio fieret. Errorius uero licet eſſet Theologus, ad exercitium tamen eorum quæ ſpectabant ad Papatū ignarus, ſedens in conſiſtorio & ad audiendum propoſitiones, quæ coram eo fiebant per aduocatos in reſponſis titubabat, uidens autem ſe per hoc derideri, ſumpſit rancoris materiam contra eoſdem, dicens eos contra eum conſpiraſſe, quòd ipſe Papatui ſuo cederet in præiudicium obedientiæ ſuæ & fauorem partis aduerſæ. Vnde quandoq; ipſos Cardinales ad palatium ſuum tempore congruo accedentes ad ſe uenire non promiſit, ſeq; muniuit multis armigeris ſiue ſtipendiarijs, ac ſi haberet de ipſis Cardialibus & Curialibus merito dubitare, licet ipſi Cardinales & Curiales continue ſibi omnem reuerentiam ac honores debitos exhiberent. Et ſub illo colore ad palliandam ignorātiam ſuam in practica & Theologia iuris canonici plerūq; de ſero poſt ueſperas nullo Cardinali præſente, & paucis etiam illic tunc aduenientibus Curialibus ipſos aduocatos audiuit in cauſis eiſdem, & ut delirus inter eos ſedendo aliquando concedenda concedere denegabat, non ſciebat enim diſcernere quid in talibus aut concedere uel negare deberet, quia nemo in illo proſperatur quod ignorat. Vnde etiam quandoq; ordine turbato nocturno tempore aut ſero uel mane contra ſolitam conſuetudinem dictæ Curiæ ſemper pro eius libito uoluntatis abſq; conſilio dictorum Cardinalium quoſdam creauit Epiſcopos & Abbates, necnon omnia faciebat ſicut prædictus Antonius camerarius & Paulus eius nepotes, qui eum rexerunt, fieri uoluerunt. De quo multus erat murmur inter Cardinales & Curiales, at is hoc diſſimulans nō curauit. Idem etiam Errorius tunc indifferēter cœpit facere gratias expectatiuas quibuſcunq; petentibus in Senis & in Luca, necnon interim etiam cum præfatis nuncijs dicti regis Ladislai, q

Hui qualis theologus.

Stupiditas Gregorij in rebus agendis forenſibus.

apud ipſum frequenter erant, occultas conuentiones dicitur feciſſe, uidelicet quòd eidem regi urbis, necnon ciuitatum & terrarum ac locorum Romanorum eccleſiæ prædictæ uicariatum concederet in tēporalibus pro magna pecuniæ quantitate, ad quod rex ipſe ſolicite aſpirabat, licet in proprijs cōtentari merito potuiſſet. Promiſit enim rex ſe facturum magnalia præfato Errorio ſuiſq; nepotibus, & inter alia quòd eundē Paulum comitē faceret in regno Siciliæ memorato in non modicā diſplicentiā Romanorū Cardinalium & Curialium.

Gregorius contra iuſiurandum & Cardinalium ſuorum contradictionem nepotes galero donare inſtituens uix multorum precibus exoratus abſtinuit, eiq; de unione fruſtra canitur. Caput. XXIIII.

DVm autem appropinquaret quadrageſima, quidam mercatores in regno Siciliæ ſcripſerunt mercatoribus eorum ſocijs Lucæ degentibus, quomodo prædictus rex Ladiſlaus concluſiſſet cum dicto Paulo de Vrſinis, quòd ipſo Paulo cooperante dominium dictæ urbis adipiſceretur in breui ſine bello, prout cōtigit. Quod dum ſentirent dicti Curiales de hoc magis dolebant, dicentes quòd illud non procederetur abſq; conſenſu Errorij. & cum Errorius & Antonius camerarius ac Paulus eius nepotes ſentirent, quomodo rex & Paulus de Vrſinis inuicem concordabant, gauiſi fuerūt gaudio magno. Vnde prædictus Errorius tūc primum diu ante per ipſum conceptum uirus euomuit publice cōtra uota & iuramenta ſua. dixit enī Cardinalibus ſuæ intētionis eſſe, quòd dictum Antonium camerarium & alium ſuum conſanguineum Gabrielem Condelmarum etiam Venetū, & duos alios creare uellet Cardinales, reſpondentibus autem ſibi Cardinalibus, quòd illud ea uice nullatenus expediret, cum ipſi eſſent numero ſufficientes, & ſi in hoc conſentirent nulla neceſſitate urgente aut utilitate ſuadente, ipſi uiderentur à uotis & iuramentis eorum licitis neceſſarijs & honeſtis turpiter reſilire, tunc enim Petrus & ſui Cardinales in portu Veneris morabantes dicere poſſent, quòd reuera per eos non ſtetiſſet quin prædicta unio facta fuiſſet, ſi Errorius & ſui Cardinales eis promiſſa & pacta ſeruaſſent. Sed idem Errorius in reprobum ſenſum datus contra eoſdem Cardinales magis & magis ad iracundiam commouebatur, aſſerens quòd eſſent in omnibus ſibi contrarij, & tunc fecit quòd tandem ipſi Cardinales annuerunt, quòd Antonium ſolum crearet Cardinalem. Dum tamen ad faciendam dictam unionem cū Petro & ſuis

Cardinalibus ulterius procederet, quia in hoc cum uellent ad ipſius
beneplacitum in omnibus iuuare. Quibus reſpondit ad ipſum ratiõe
ſui Pontificij pertinere, quòd quos & quot uellet creare poſſet Cardi-
nales. Nec rationibus nec precibus eorundem Cardinalium, quòd à
creatione ipſorum nouorum Cardinalium ſuperſederet aliqualiter
induci potuit ſiue flecti, quod uidentes multi uenerabiles Epiſcopi &
etiam alij magnæ authoritatis uiri, qui de Polonia, Pruſia & alijs di-
uerſis regionibus & longinquis partibus ad Errorium acceſſerunt, co
hortandi eius gratia quòd dictam unionem faceret, ipſum obnixe ro
garunt, quòd ſuperſederet illa uice quoad creationem nouorum Car-
dinalium, ne ex hoc inter ipſum & dictos ſuos Cardinales ac Curiales
ſcandalum oriretur, & daret Petro & ſuis Cardinalibus materiã rur-
ſus abeundi fine unionis non ſecuto, ſicq; Errorius & ſui Cardinales
atq; Curiales undiq; diffamarentur, quòd ipſi dictam unionem quo
minus fieret modis omnibus impediuiſſent. Sicq; tandem & uix hu-
iuſmodi precibus motus idem Errorius per aliquas ſeptimanas ſuper
ſedit non creando nouos Cardinales antedictos.

Veritatis atq; iuſticiæ prædicator carceribus mancipatur à nepotiſſimis nepotibus. Caput XXV.

SEd his ſic ſtantibus cum quidam frater ordinis Carmelita
rum magiſter in ſacra Theologia, & natione Lucanus in
dominica mediæ quadrageſimalis cum cãtatur in eccleſia
Lætare Hieruſalem, corã Errorio & ſuis Cardinalibus in-
fra miſſarum ſolennia ſermocinaretur, ipſumq; Errorium multum ex
hortaretur, ut tollendo moras dictam unionem faceret cum ſuis ad-
uerſarijs antedictis, tangendo etiam iuramenta & uota Errorij per eũ
ſæpius repetita, quæ ipſum ad hoc merito conſtringebant. Præfati
Antonius camerarius & Paulus laicus eius nepotes circa horam ue-
ſperorum ipſa die præfatũ fratrem de maiori eccleſia Lucana, in qua
ipſe & omnes ambaſiatores & oratores ad Errorium deſtinati conue-
nerant ad tractandum aliqua utilia ſuper facto unionis huiuſmodi,
nec ſanctitati loci, nec libertati eccleſiæ aut ipſis oratoribus aliquo de-
ferentes, ſed impetuoſe ac irreuerenter extrahi atq; in carceribus tur-
piter detrudi fecerunt, in quibus eum per aliquot dies poſtea detinu-
erunt incluſum, & niſi bonos habuiſſet auxiliatores, forſan lumen cœ
li de cætero non uidiſſet, cui dimiſſo tandem iniunxerunt inter alia
pro pœnitentia, quòd publice prædicare de cætero non deberet. Tũc
Errorius inde recepta cautela noluit deinceps ſermonem fieri coram

Eant in malam crucem quot quot his delicatis auribus obſequuntur. Si unquam alij fuerũt, certe his diebus nouiſſimis (iuxta diui Pauli uaticiniũ) ſumus auribus prurientes &c.

eo in publico, niſi prius ille ꝑ aliquos ſuos charos perlectus exiſteret atq; placeret eiſdem. Et cum feſtũ Paſcæ in proximo inſtaret, aliqui Epiſcoporum prædictorum, qui tunc erant præſentes in eadẽ Curia ſibi formantes conſcientiam de periurio ipſius Errorij, quia per tam uarias calliditates & aſtutias huiuſmodi unionis negocium protelabat, nec uidebatur ad illud exequendum propenſus, ne remanẽte Lucæ infra feſta Paſchalia eos cum dicto Errorio oporteret in diuinis officijs participare, paſſim ſub diuerſis coloribus ad alia loca ꝓpinqua declinarũt. Sicq; idem Errorius ſe habuit in præmiſſis & circa eoſdẽ ſuos Cardinales, quòd penè omnibus Cardinalibus & Curialibus ipſis reddebatur exoſus. Et quia tunc temporis huiuſmodi ambaſiatores qui adhuc erant in Curia præſentes inſtabant ſatis importune & continue apud ipſum Errorium, aliqui eorum orantes ſeſe dimitti ut ad propria redire poſſent, cæteri uero ut pro dei amore ad dictam unionem faciendam procederet late remotis obſtaculis quibuſcũq;, adijcientes quòd ipſi propterea illuc de longinquis partibus magnis periculis & ſumptibus ueniſſent, diuq; ipſum ſequendo non uiderent effectũ aliquem in unione prædicta, nec ipſi poſſent in Luca tot ſumptus ſeu expenſas facere deinceps, prout hucuſq; feciſſent. Tũc prædictus Errorius ſub diſſimulatione aut forte magis uerecundia, ne dicti ambaſiatores ab eo ita nude ac infecto negocio abirent, qua cauſa ſeu amore dictæ unionis faciendæ ſcripſit prædicto Petro, ut ſequitur in hæc uerba.

Tenor fucatæ atq; ementitæ excuſationis & adhortationis unionis fiendæ per Gregorium ad Benedictum tranſmiſſæ.
Caput XXVI.

GRegorius Epiſcopus &c. Petro de Luna, quem nonnullæ gentes in hoc pernicioſo ſchiſmate Benedictum XIII. appellant, pacis & unionis affectum. Accepimus hodie literas tuas datas in portu Veneris IIII. kalendas Aprilis, per quas ſaluum conductum à nobis pro Ioanne Rothomagenſi & Petro Terraconenſi prætenſis Archiepiſcopis tuis nuncijs cum C. equitibus & XX. peditibus tibi poſtulas deſtinari, ſuper quo non immerito mirari compellimur, cum apud te ſint præſencialiter conſtituti oratores noſtri pleniſſima poteſtate & mandato fulciti ad concluſionem loci idonei & decentis concordare parati, quid huiuſmodi tranſmiſſio nũciorum tuorum afferri poſſit & moram & temporis perditionem. Cõſtat enim in huiuſmodi miſſionibus nunciorum ac in excuſationibus

per eos

per eos faciendis neceſſario tempus ad dilationem ineſſe, ex quo tardatur illa quam totis uiribus amplecti debemus pacis & unionis acceleratio ſalutaris, uidemusq́ tam longa tempora ſuper hac materia fruſtratorie hactenus fuiſſe conſumpta, ab intimis proculdubio uideat̃ dolendũ. Poſtq̃ enim huiuſmodi uiſum fuit ut in loco idoneo & decenti pro ſedatione huiuſmodi deterrimi & abominandi ſchiſmatis perſonalis utriuſq; fieret cõuentio, ſcimus nos oratores noſtros Maſſiliam deſtinaſſe, qui dum ad locum Saonæ deducti. quanq̃ illud eſt contra mentem & intentionem noſtram, & contra mandatum eiſdem nuncijs per nos iniunctum, tamen ex quo cõuentum fuerat, uoluimus non approbando ſed experiendo ex abundanti charitatis noſtræ feruore diligentiam impartiri, atq; omni uia & modo niti, ſi illa quæ cõuenta fuerant adimplere poſſemus, ſed tamen quantumcunq; diligẽtia per nos adhibita galeas quas nobiſcum ducere & ibi retinere tenebamus, & in quibus ſe charitas & libertas noſtra ac poteſtas ueniendi, ſtandi & recedendi pro noſtro arbitrio uoluntatis ſecundum intentionem contrahentium conſiſtebat ut notoriũ eſt habere nequiremus, prouidentes quantum in nobis erat ne tempus pderemus, confeſtim de menſe Auguſti proxime præterito tibi nota fecimus impedimẽta ac difficultates ſuper habendas galeis nobis & parti noſtræ manifeſtiſſime incumbentia, & cum omni charitate & ſinceritate intendẽtes mutatione loci pro efficaci unionis concluſione uel ſaltem alias ſecuritates propter defectũ galearum poſtulauimus, & ut paratiores ad iſta nos exhiberemus per terram ab illa alma urbe profecti primo Viterbium deinde Saonã cum noſtra Curia peruenimus, uoluimus etiam per Lombardiam quamuis multis & uarijs bellorum turbinibus ad terras dilecti filij nobilis uiri Theodorici marchionis Montisferrati, quæ ſunt propinqua Saonæ cum eadem noſtra Curia proficiſci, à qua profectione multiplices reſiſtentiæ bonis ut putamus reſpectibus nobis factæ per eos, quæ conditione ipſius Lombardiæ formidabant nos retraxerunt, ſed poſtq̃ ſecuritates iuſtiſſimæ poſtulatæ nobis non præſtabantur, uellemus ſaltem ut tantus pacis & tranquillitatis in populo dei reducendi affectus apud te ualuiſſet, & nõ ſuſtinuiſſes tempus illud fruſtra conſumi, nec feſtum omnium ſanctorum damno eccleſiæ & animarum periculo expectatum fuiſſet, nam cum locus Saonæ propter unionem fuiſſet appoſitus, non autem unio ipſa propter locum Saonæ fuit ſic pertinaciter in eodem loco inhærendum, ut inde turbatio atq; dilatio oriretur, quòd ad facilitatem & accelerationem fuit adinuentum, placuit tibi in huiuſmodi loco diutius inhærere, quòd utilitas Chriſtianorum penitus abhorrebat, nec quauis nobis ſæpius

Vna manu panem oſtẽtat, altera lapidem geſtat Grego.

Nũquid ridiculũ imò deteſtandũ tam arduę rei hanc friuolam afferre excuſationem.

Et id quoq; ambitioſiſſimũ hominũ Chriſtianorum unitas merito abhorrebat, quãdo tu nõ Chriſtianos tuos nepotes paviſti atq; mammona iniquitatis inebriaſti.

bis ſæpius & dilectis filijs Florentinenſibus & Senenſibus per ſuos oratores inſtantiſſime poſtulantibus ante feſtum omnium ſanctorum alium tractatũ in materia ipſa recipere, ex quo magna procul dubio fuit temporis facta iactura, miſimus poſt hoc Saonam nuncios noſtros à principio allatos, prout ex ipſo tractatu per rationes tunc aſſignatas tenere uideris, ad ueniendum fuiſſes requiſitus, & alia quædã loca idonea & habilia per eoſdem nuncios nominata fuiſſent, doluimus quòd cæteris quæ habere poterãt obmiſſis in loco Petræſanctæ quem ſciebas nobis eſſe denegatum inſiſtere uoluiſti, ut in hoc etiam tempus perderetur, & ſecutum fuit deinde per nos ad ciuitatem Lucã & per te ad Portũ ueneris trãſiretur, quibus in locis poſtq̃ fuimus, & de alio loco pro huiuſmodi conuentione tractaretur, ſatis manifeſtum eſt, unde difficultates moræ atq; dilationes oriant̃. Tu enim ut oratores tui in præſentia noſtra publice affirmarunt, nullum locum acceptare intendis niſi ſit maritimus, & dominiũ eiuſdem in noſtris ac tuis manibus libere concedatur, quæ duo magnas generant in hac parte difficultates, primo quod ad maritima coartando multa loca habilia & idonea excluduntur, & ampliſſima locorum copia ad paucitatẽ reſtringitur. Deinde quæ loca idonea ſunt, eorum dominia haberi non poſſunt, ac etiam ſi huiuſmodi locorum dominia haberẽtur gentes armorum, capitaneo cuſtode, uictualium prouiſionem & plura alia neceſſaria uidentur, quorum difficultas in proſecutione huiuſmodi tractatus nobis de die in diem magis innoteſcit, quæ omnia augent impedimenta, celeritatem retardunt, pericula protendunt, impenſas requirũt magnas, ad quas camera apoſtolica iam diu pecunijs exhauſta non ſufficit, potius ad impediendam unionem, quàm ad tollendum diuiſionem huiuſmodi qualitates quæſitæ uideãtur, nos autem putamus hoc negocium, quod dei eſt & ad pacem tendit pacifice & ad charitatem ſine armis & ſine ſtrepitu humanarum uanitatum cõfici. Itaq; nobis illa uia magis placebat & placet, ut ſub uno aliquo domino uel dominio, in quo utraq; pars tuta foret, huiuſmodi fieret cõuentio perſonalis, hæc enim uia omnia impedimẽta excludit, omnes ſcrupulos repellit, omnes amputat difficultates, pro cuius executione Florentinenſis & Senenſis loca habilia & decentia tam maritima & terreſtria, & inſuper ciuitatem Lucanam pro parte noſtra fecimus offerri, & præcipue ciuitatem Piſanam, qui locus eſt ſic idoneus ut nullus magis ualeat reperiri, diuiſus flumine, galeis ſecundum quod tu optare uideris acceſſibilis, abundãs uictualibus, capax multitudine, totus & omni reſpectu ſic accommodus, ut ad ipſam conuentionem fabricatus uideatur, in unius diei ſpacio nos per terram & tu per mare ad eũdem

Recte indicaſti, nam id manifeſtiſſimum.

Et id quoq; omnino credibile tibi maximam in deponendo principatu difficultatẽ uideri.

Piſarũ oportunitas atq; cõmoditas.

dem locum conuenientes pacem Chriſtianitati reddere poſſumus, & tam infamem maculam de conſpectu eccleſiæ abolere, hunc locum tā propinquum & tam idoneum & capacem declinare, & ad caſtruncula non capacia atq; decentia & multas & magnas difficultates continentes conuertere, nullam habere poteſt ſinceritatem, quòd ſi magis duo loca pro huiuſmodi conuentione deſideras. Quanquam hæc duorum locorum conuentio minus expedita fore dinoſcitur ad accelerationem accommoda unionis, tamen ſi quocūq; reſpectu deſideras, nulla inuenies magis idonea quàm illa, quorū tractatum nuper cū Florentinenſibus oratoribus introduxiſti, Piſas ſcilicet & Liburnum, in quibus miramur te uoluntatem ſuperuenientem ſine cauſa mutaſſe. Nos enim dictorū locorum tractatum promptiſſime recepimus, & per nuncios noſtros tibi fecimus afferri, unde cum pro unius & plurium locorum materia talia obtulerimus, quibus meliora & commodiora offerre non potes. Cumq; nuncij noſtri apud te conſtituti de loco & locis huiuſmodi concludere ſint parati & ſufficienti poteſtate ad cōcludendum fulciti, non uidemus quòd in iſtis miſſionibus nunciorū tempus ſit amplius admittendum, præſertim cum ipſi Ioannes & Petrus nuncij tui quos nunc remittere quæris, paulo ante apud nos exiſtentes ſatis longum tempus nihil agendo conſumpſerunt, & Piſarū Liburniq; tractatū à te per Florentinorum oratores, ut profertur motum & per nos acceptum, ſuis operibus non dubitarunt impedire, mittimus tibi nihilominus ſaluum conductum, quæ poſtulas hortantes te & requirentes ut uelis ſinceram & promptam efficaciā circa concluſionem tanti & tam deſiderati boni effectualiter adhibere. Datū Lucæ kalendas Aprilis, noſtri Pontificatus anno ſecundo.

De reſponſo Benedicti ad ſupradicta. Caput XXVII.

IPſe autē Petrus nuncijs prædicti Errorij cum præfata epiſtola ſibi directis per medias perſonas & non per eius literas ſiue bullam reſpondit, ut ſequitur. Ex parte ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Benedicti diuina prouidētia Papæ XIII. ad expoſita & infraſcripta tradita per uos uenerabiles ambaſiatores reuerendiſſimi domini Angeli Corarij, qui ſe facit Gegorium appellari, ad quæ in ſcriptis reſpōdere petiſtis reſpondetur ut ſequitur. Et primo ad contenta effectualiter in prima cedula ueſtra dicitur, quòd ſanctiſſimus dominus noſter, cuius tota affectio & ſolicitudo in hoc uerſatur, ut peſtiferum hoc ſchiſma tollatur radicitus, & unio ſalutifera in dei eccleſia celeriter ſequatur circa unionis

unionis proſequendæ & deo dante obtinendæ materiã proceſſit & ꝓcedere intendit, non per cautelas ſeu dilationum exquiſitos fucos, nõ per mundana & cauilloſa ingenia, non per uariationes & ſimulationes confictas, depictas coloribus, ſed pure, libere, deuote & ſincere de diuina gratia & protectione ac ſanctorum & Chriſtifidelium meritis & interceſſione confiſus, reiecta tamen temeraria præſumptione ac diuino maieſtatis tentatione, quæ in ſacra ſcriptura non immerito reprobatur, pro qua quidem unionis concluſione quantum in ipſo eſt proficienda ad locum imò loca concordata & præfixis terminis non ſine magnis laboribus & expenſis iam aduenit bina uice, itaq; dilationes, difficultates atq; perplexiones & inuolutiones, quas circa locum mutuæ conuentionis exortas prætenditis, à domino noſtro Papa aut ſui uel ſuorum culpa uel contumacia ipſa exhibitione operis hoc euidenter comprobante nullatenus proceſſerunt, quòd cuilibet recte ſentienti clare apparere poteſt, ſi geſta & adimpleta oblataq; & acceptata per dominum noſtrum & nuncios ſuos circa materiam perpenſius attendetur. Nam certum eſt quòd dominus noſter in Maſſilia reſidẽs, ambaſiatores reuerendiſſimi domini Antonij prædicti, ac etiam ex cauſa cum ſufficienti poteſtate illic deſtinatis plura loca decẽtia & habilia obtulit, & tandem factis deſtitutionibus omnium locorum hinc inde oblatorum de loco Saonæ unanimiter concordatum extitit, ad quem quidem locum dominus noſter cum ſuo ſacro collegio in forma & terminis conuentis ſe perſonaliter contulit cum galeis & gentibus concordatis, non ad oſtentationem nec alicuius offenſionem, ſed ad ſuam & ſuorum ſecuritatem & tutelam, quæ quidem materia galearum & gentium, etiam in maiori numero habendorum ac dominium loci obtinendi à dictis oratoribus aſſerentibus ſe hoc à reuerendiſſimo domino Antonio habere expreſſe in mandatis mota extitit, & ipſis inſtantibus concordata dictus reuerendus dominus Antonius ad dictũ locum omnino uenire recuſauit & recuſat, non ſine multarũ animarum & eccleſiæ detrimento, ſed ne propter dictam recuſationẽ, licet tam indebitam unionis ſalutiferæ concluſio differatur, dum poſtea per dictos nuncios dicti domini Antonij fuit apertum, & requiſitum, quòd dominus noſter ueniret ad locum pedeſtrem. Idem dominus noſter zelo unionis accenſus ad hoc cũ certis proteſtationibus in quibus perſiſtit cõdeſcendit, & ad hunc locum portũ Veneris uenit, quamuis præfatus dominus Antonius ad locũ de Petraſancta ſupra nominatum uenire recuſauit, licet dominus Lucanorum pro ſecuritate domini Antonij filium unicum & certos de ſanguine ſuo, & xxx, uel quadraginta ciues Lucanos uellet dare in obſides, ſeq; iuramentis

& alias

& alias iuratorias cautiones facturũ, & alia fortalicia dicti loci arce ſu-
periori excepta, in manibus dicti domini Antonij ſe traditurum offe-
rebat, quam quidē arcem etiã in manus cuiuſdam ſeruitoris dicti do-
mini Antonij ſe poſiturum ut dicitur obtulit, quibus ſecuritatibus ac
gentiũ armigerarũ comitiua, quam ſecum pro ſua cuſtodia tenebat,
& continuo tenet. dictus dominus Antonius non contentus, nec eti-
am de ueneranda Chriſti cruce ac ſanctorum reliquijs, & fideliũ orati-
onibus, ut ueſtra optat cedula confiſus, quia arcem ſuperiorem abſo-
lute ut uolebat non habuit, ad dictum locum, qui tamē eſt in ſua obe-
dientia nō multũ populoſus uenire renuit, ſolumq́ʒ ad ciuitatem Lu-
canam poſt diuerſas dicti dñi noſtri nunciorum inſtantias ac dilatio-
nes uarias per ipſum interpoſitas ſe finaliter tranſtulit. Sed nec his cō-
tentus dominus noſter finē unionis aſſequi celeriter cupiens, ſuos ad
dñm Antonium iterũ nuncios cũ pleniſſima poteſtate pro ulterio-
ri aſſecutione in hoc ſancto negocio agendorũ deſtinauit. Cum qui-
bus dominus Antonius ſolũ de loco ad locum mutuæ conuentionis
omiſſis præparatorijs ſe uelle tractare reſtrinxit. Super qua materia
dicti domini noſtri nuncij locum de Liburna, & nonnulla alia loca,
quibus dictus dominus noſter & dominus Antonius nunc reſident,
propinqua & ſecura, uicinia & utilia obtulerunt, cum libera traditio-
ne eorundem locorum & fortaliciorum, necnon iuramentis incolarũ
& habitatorum armorum ſeu armaturarũ ipſorum æqualiter domi-
no noſtro & dño Antonio æquandis, & cum alijs ſecuritatibus neceſ-
ſarijs & oportunis obtulerunt. Inſuper ꝙ dñs noſter ſanctiſſimus ue-
nire ad loca in limitibus obedientiæ ſuæ inter hunc locum Portũ ue-
neris & ciuitatem Lucanam conſtituto, & ꝙ dominus Antonius cōſi-
militer faceret, maxime cum in limitibus partis ſuæ meliora & ſecuri-
ora loca haberet tam ſub dominio Florentinenſium quàm domini
Lucanorum & aliorum. Quæ oblatio quantam æqualitatem, quan-
tam iuſticiam & rationem contineat, & ratio naturalis, iuraq́ʒ diuina
& humana, communiſq́ʒ in talibus practicata & obſeruantiæ teſtant̃,
cũ per nonnullos quantumcūq́ʒ feroces inimicos, de pace & cōcordia
tractare cupientes, hæc oblatio conſueuit refutari. Sed & ultra, dũ ui-
ri ſpectabiles oratores dominorũ Venetorũ ad proſecutionem unio-
nis tranſmiſſi, conſpicerent recuſari per dominum Antoniũ ſcriptis,
deliberatione præhabita zelo unionis accenſi omnia circumſpecte cō-
ſiderantes, propoſuerunt tam nomine ſuo q̃ nomine nunciorum illu-
ſtriſſimorũ principum dominorum regis Franciæ & regis Poloniæ
& Cracouiæ, ac dominorum Senenſium, quatenus dominus noſter
ſanctiſſimus accederet ad locum de Venſa, & dominus Antonius ad

Nõne uides q̃ hæc omnia tyrãno potius cõueniũt q̃ Chriſti uicario.

V locum

locum de Cararis munitum utiq; & ſecurum, quæ ambo conſtituta ſunt in obedientia dicti domini Antonij, & ſub dominio dicti domini Lucani, & ſita inter hunc locũ Portumueneris & ciuitatem Lucanã aptiſſima, & prout ipſi teſtabantur ad hoc opus perficiendum, & ſolũ abinuicem per duo uel tria miliaria diſtantia, quæ ſatis pro celeri & ſecura expeditione agendorum pro uno loco poſſunt æſtimari, quæ cum plena traditione fortaliciorum ambobus præſtanda & alijs ſecuritatibus propoſita fuerunt, quibus uenerabiles nuncij dominorũ Romanorum & Florentinorum poſtea ſuperuenientes & alij multi in obedientia dicti domini Antonij in præmiſſis affuerunt, quæ quidem loca licet pro domino noſtro maxima in omnibus eſſet inæqualitas, ex deſiderio tamen unionis celeriter conſequendæ dicti nuncij domini noſtri acceptarunt, & ſe ſuper hoc non cum facultatibus, conuentionibus, inuolutionibus longi temporis moram trahentibus, ut in tertia cedula ueſtra propoſitis, ſed clare & plane ac efficaciter, concluſores obtulerũt, ac dictus dominus Antonius, licet aliàs per inſtrumentum publicum obtulerit ſe uenturum ad omnem locum obedientiæ ſuæ in Italia conſtitutum, & dictus locus de Cararis habilis tam per dictos dominos oratores quàm ſecundum communem opinionẽ reputetur contra uoluntatem & conſilium dominorũ de ſuo collegio & ambaſiatorum præfatorum, & aliorum multorum de ſua obedientia, quanquam per nos ambaſiator obtulerit ipſe dominus Antonius domino noſtro reſpondere rationabiliter uenire, licet indebite & ſine cauſa rationabili recuſauit & recuſat. Ex quibus ſatis patet, quòd dilationes circa perfectionem unionis ſacratiſſimæ, difficultateſq; pro loco conuentionis adhibitæ à domino noſtro nullatenus proceſſerũt aut procedunt, cum ut prædicitur ad locum Saonæ concordatum ueneri t, & ex ſuperabundanti inſtante domino Antonio ad Portum Veneris & ultra ad alia loca per ſuos nuncios oblata, imò quod plus eſt ad loca per Venetos met & conciues eiuſdem domini Antonij & alios multos de ſua obedientia nominata, & etiam per ſuum prætenſum collegium ſuggeſta & conſulta, idem dictus noſter ſanctiſſimus in uno loco cum domino ueſtro ueniat, iuxta exigẽtiam tertij modi, non ſine cauſa dominus noſter in admirationem de tanta uariatione adducitur, quòd cum nuper in Saona ipſe dominus Antonius per ſuos nũcios publice obtulerat, quòd haberetur primus locus utriq; parti tutus, cuius loci dominium eſſe deberet in manibus utriuſq;. Secundo quòd haberent duo loca propinqua, quorum dominium poneretur in manibus unius prædictorum, & aliud in manibus alterius. Tertius modus, quòd ambo domini cum partibus ſuis fidem acciperent

& ſe

& ſe ponerent in manibus unius domini uel dominij, quorũ modorũ optionẽ dedit dño noſtro dominus Antonius prædictus, quã quidẽ oblationem etiam in ſcriptis in ciuitate Senenſi domini noſtri nuncijs replicauit, & nunc omiſſis primo & ſecundo modis, qui tamen uelut honeſtiores ac decentiores pro eccleſia, ſecuriores & utiliores pro negocio peragendo, & longe in omnibus præſtantiores, qui & de facili haberi poſſunt, uidentur ſanè intelligẽti, tertio modo præferendi, nuncuariando ad ſolum tertium ſuum modum per omnia ſe reſtringit, quo non contentus etiam illum ſic limitat, ut omne dominium obedientiæ domini noſtri penitus excludatur. Præmiſſis autem non obſtantibus præfatus ſanctiſſimus dominus noſter uos benigne audiens, uobiſcum ſi aliqua rationabiliter à debito modo obtuliſſetis libentiſſime concludere decreuerat, quia tamen per uos expoſita & in ſcriptis oblata, modo & forma quibus offeruntur in ueſtra cedula ad deſiderati negocij ſecuram concluſionem tendere minime uidentur, ſed potius ad quandam oſtentationem & recuſationem eorum, quæ tã ſanè, iuſte & pie omnibus oratoribus, ambaſiatoribus, & omnibus alijs, de quibus ſuper hoc ſuadentibus per dictos nuncios apoſtolicos oblata & accepta fuerunt, ſanctiſſimus dominus noſter ad contenta in ſecunda cedula reſpondet, quòd ut clare patet domino noſtro Papa non offeruntur per nos, imò auferuntur euidenter ſecuritates & libertates debitæ & neceſſariæ, non enĩ primo ſibi offerunt libertates & ſecuritates tales, quales de loco Saone fuerunt per oratores ipſius domini Antonij motæ & requiſitæ, per dominum noſtrum tandem concordatæ, & à ſereniſſimo rege Franciæ, quem alijs in dicto contractu nominatis obtente, nec tales quales tunc fuerunt cõcordatæ caſu, quo in alio loco quem Saonæ in Italia, & in obedientia dicti domini Antonij cõuenire oporteret, qui tamen caſus minime euenit, imò nec tales, nec tam idoneæ ſecuritates offerentur, quales dictus dominus Antonius uoluit habere pro perſona ſua in loco de Petraſancta ut ſupradictum eſt, nec etiam tales quales fuerunt expreſſæ in primo & ſecundo modis data optione domino noſtro per nuncios dicti domini Antonij in Saona oblatis, & ſicut ad loca nunc per uos & alios conſimiliter per reuerendum dominum Antonium in Luca ſine prædictis ſecuritatibus oblata per dictos nuncios fuit, aliàs reſponſum in forma & ſub conditione quibus ea offertis uidentur ipſa loca debitam ſecuritatem & libertatem non habere. Verum quia loca iuſta & rationabilia & cum plenis ſecuritatibus, libertatibus & æqualibus pro parte ſanctiſſimi domini noſtri oblata & conuentione limitũ utriuſq; obe-

dientiæ tam iuſtam & rationabilem conuentionem locorum de Venſia & de Cararis uerbis & ſcriptis nō ſine domini noſtri Papæ & multarum notabilium perſonarum etiam de obedientia dicti domini Antonij admiratione, contra conſilium & inſtantiam dominorū de ſuo prætenſo collegio & ambaſiatorum prædictorum, imò contra omnē quaſi opinionem omnium utriuſq; irrationabiliter excuſatis, & iniuſte certos in genere quos uos exprimitis ſuſpicione ſine colore & fundamento quocunq; prætendentes ſimulantes præterire, quæ dicitis, & quæ obiecta probare non poteſtis, uultis ſaltem præmiſſa reddere criminoſa, atq; interrogati reſpondiſtis ad huiuſmodi ſanctum negocium cōcludendum uos aliter aut aliàs de cætero minime oblaturos, niſi prout in præmiſſis cedulis & ſuperius narratis cōtinetur. Sanctiſſimus dominus noſter uidens hæc omnia aperte ad temporis dilationem, quæ multum huic dei cauſæ eſt nociua euidenter tendere, cum ut dictū eſt ſolum aliàs oblata, quibus fuit pro parte dictorum nunciorum ſuorum ſufficienter reſponſum offeratis, ne ulterius tempus inutiliter expendatur ſuos, nuncios ad reuerēdum dominum ueſtrū deſtinat de præſenti de ſua intentione pleniſſime informatos, qui ſi præfatus reuerēdus dominus Antonius ad aliqua rationabilia & unioni utilia & oportuna condeſcendere uoluerit, cum ipſo breuiter & abſq; mora concludent & firmabunt ad laudem dei & bonū eccleſiæ atq; conſolationem totius populi Chriſtiani.

Hic deſiderauerim Federicum aliquem ac Ottonē Romanorū imperatores, qui hos tergiuerſantes clerum concordaſſent.

Tractatus atq; conſultationes nunciorum utriuſq; Pontificis, haud multum abludunt ab his, quæ de ambitione Simonis ac Ioannis Pontificum Iudæorum Ioſephus in de bello Iudaico ſcribit. Caput XXVIII.

CVm autem oratores ſeu nuncij dicti Petri ad Errorium reuerſi, ualde importune inſtarent apud ipſum, quòd eis finaliter reſponderet, quæ nam ipſius eſſet intentio ſuper unione huiuſmodi facienda, ipſe poſt aliquas excuſationes ſuas ſuper hoc more ſuo propoſitas ipſis bina uice infra eadem feſta Paſchalia reſpondit, prout ſequitur in hæc uerba. Super materia Piſarum & Liburni nuncij ſanctiſſimi domini noſtri domini Benedicti Papæ XIII. ut poſſet clarius reſponderi uellent inter alia de ſequentibus certiorari. Primo ſi reuerendus pater dominus Antonius abſolute & ſine conditione infra breuem terminum nunc declarandi Piſas accedat. Item ſi ilico tractatores, quorum numerum & qualitatē nunc exprimant factum principale unionis intrare ad præparatoria

ut ſolum

ut ſolum neceſſaria ad unionem & accelerationem eiuſdem tractare & concludere breuiter uoluerit cum effectu. Reſponſio Errorij. Cum ſanctiſſimus dominus Gregorius diuina prouidentia Papa XII. quandam cedulam per uos dominos ambaſiatores reuerendi patris domini Petri de Luna oblatam die XVIII. Aprilis recepit, pro parte dicti domini Gregorij reſpondetur, cum ſciatis quòd domini Florentini nullum eorum locorum uelint dare uni non requiſiti ab utraque parte Idem ipſe dominus noſter dicit, quòd paratus eſt accedere ad locum Piſarum infra terminum per utrunque concordandum, habita concordia cum eiſdem Florentinis ſecundum formam oblationis factæ per ſuos oratores dicto domino ueſtro in Portuueneris, dum tamen ex nunc uos obligatis dictum dominum ueſtrum uenire Liburnum infra eundem terminum. Exhortatur igitur uos & inſtanter requirit ipſe dominus Gregorius Papa, ut pro parte dicti domini ueſtri uadatis uel mittatis unà cum mittendis per ipſum dominum Gregorium Florentiam cum prædicta concordia, & cum dominus noſter Gregorius paratus ſit obſeruare uota & iuramenta, & ſecundum illa pure attendere ad ea, quæ reintegratione unionis Chriſtianorum ſunt, diſpoſitus eſt ſe denouo non obligare, quod petere uidemini, ſed ſolũ ad conuentionem localem. Alia reſponſio dicti Errorij. Quia ſcripta & narrata in cedula ueſtra ſunt minus uera, ac irrationabiliter & indebite data, propoſita & oblata ac reſponſa, uti ſæpe declaratũ eſt, publicis documentis, teſtibus, inſtrumentis, rationibus, & alijs experientijs oportunis. Iccirco reſpondetur, ſicut aliàs in ſcriptis per S. ſuam, qua per eius oratores rationabiliter & uere reſponſum fuit, & à proteſtationibus pactis tunc factis nullatenus decedendo, & licet ex eiſdem contentis in dicta cedula & alijs tractatis & pertractatis tam cum dicto reuerendo domino Petro quàm cum alijs notabilibus perſonis de parte ſua, quàm etiam cum ſuis nuncijs, quàm ex diuerſis & continuatis plurimum notabilium perſonarum & inſignium uirorũ cum omni ſinceritate & puritate domino noſtro Gregorio Papa factis appareat expreſſe, quòd dictus dominus Petrus omnino ſatagit dictum dominum Gregorium attrahere ad loca ſuſpecta, inhabilia, non idonea, nec ſecura, propinqua ſuæ potentiæ & obedientiæ, non ſine rationabili ſuſpitione, quæ ex tenacitate locorum Lauenæ & Cararis poſt tam claras & urgẽtes rationes per oratores præfati domini noſtri factas in Portu Veneris contra prædicta & nunc iterum replicata & continuata neceſſitate per ambaſiatores præfati domini Petri ipſi domino noſtro merito augentur, reſponſiones quæ nunc datæ per ambaſiatoribus dicti domini Petri friuolæ in ſeipſis apparẽt dili-

Tu dic ueri ut accenſus ardore inextinguibilis ambitionis. genter intuenti. Nihilominus idem dominus noſter accenſus ardore inextinguibili charitatis ad unionem eccleſiæ dei prædictum reuerẽdum patrem dominum Petrũ requirit, obſecrat & obteſtatur per uiſcera miſericordiæ domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus ad tollendũ eandem ſuſpitionem, & amputandam omnem dilationem, & ad celeriter & fructuoſe inducendam in dei eccleſia dictam unionem, placeat eidem domino Petro aliquem de locis dominorum Florentinorum aut Senenſium, uel etiam ciuitatem Lucanam, pro quibus offeruntur & non auferuntur rationales & debitæ ſecuritates & libertates, quæ ſufficere debent cuilibet bono uiro eandem unionẽ pure & celeriter intendenti, quibus ſub fide, protectione & potentia tenentium dicta loca ambæ partes à fraudibus, uiolentijs & ſuſpicionibus periculorũ & nocumentorum tam ab alijs quàm ab ipſis hinc inde ſibi mutuo inferendis tute, libere, celeriter ac pure uacare poterunt eidem unioni, ipſamq́ perficere ad laudem dei & exultationem totius populi Chriſtiani. *Rurſus de colluſione utriuſq; Pontificis.* Ecce qualiter iſti duo contendentes tunc de Papatu ludificauerunt omnes eorum Curiales & communem populum diſceptantes inuicem poſt & contra uota & iuramenta eorum de facienda per ipſos unione, necnon pacta ſubſecuta & firmata ſuper illis hinc inde, prout procuratores aliquorum litigantium de re aliqua coram iudice conuenientes in litis conteſtatione facere conſueuerunt. Interim uero & circa hæc tempora prædicti domini Cardinales Errorij, necnon oratores & nuncij tam Epiſcoporum quàm diuerſorum regnorum & prouinciarum ac ciuitatum, qui tunc erant in Curia, ex tot reſponſis beniuolis dicti Errorij eidem Petro & eius nuncijs, tamen ſubdole factis, multi ſolicite laborabant apud Errorium ac ſuos conſanguineos & nepotes tunc præſentes, quòd darent operam efficacem ad hoc quòd dicta fieret unio tempore illo in eadem ciuitate Piſana tanq́ in loco idoneo & accepto, & in quã ipſi cõtendentes de Papatu iã conſenſiſſe mutuo uidebantur, ne ſi in hoc dictus Errorius amplius negligens exiſteret, aut remiſſus. Idem Petrus ex hac ſumens occaſionem de illis partibus recederet, dictaq́ unio ſic impedita perpetuo remaneret, ut ſuperius eſt expreſſum. Errorius autem blande reſpondens ait, quod illud utiq́ facere uellet, tamen nullam efficaciam uerbis adhibuit, ſed ſemper circa hæc eius intentio uerſabatur, quòd dictos Cardinales creare & in ſuo Papatui pertinaciter perſiſtere uellet. Et quid moror, omnes prudentes qui erant illis temporibus in eius Curia figmẽtis uarijs deceperat, ut crederent quòd nihilominus dictam unionẽ facere uellet, quam tamen ut liquet ex præmiſſis facere non uolebat. Rex uero Ladislaus patrocinãte ſibi in hoc Paulo de Vrſinis memorato tempora

le domi-

le dominium urbis interim adeptus in modũ qui ſequitur per quendam notabilem ciuem Romanum deſignatum in hæc uerba. Sciat ueſtra reuerenda paternitas, qualiter XXV. die menſis Aprilis proximũ præteriti dominus Ladiſlaus rex Siciliæ intrauit urbem cum pleno dominio gratanter receptus ab omnibus cum ramis palmarum & ludis ſolitis fieri in feſto ſanctæ Mariæ de Auguſto, & cum tanta mariũ & fœminarum ac ſenium, iuuenum & puerorum alacritate, quod mirum fuiſſet uobis uidere. nulla nouitas ſeu ſpoliatio aut ſanguis interuenit. Et exinde pax maxima ſubſecuta, & rerum omnium habundantia pro tribus ducatis rubrorum uenditur tritici, quod uix anteꝗ̃ rex intrauit quinꝗ̃ ducatis uendebatur, ſed iſti tenebant ipſum abſconditum expectantes ut fieret charius, ſed nunc uidentes omni die uileſcere, feſtinant ad uendendũ, & habemus quinꝗ̃ panes bonos bolognino, & fructuum caſei, olei & aliarum rerum quæ ab oppidanis circumuicinis portantur ſimiliter habundantiam, & per mare ueniunt continue naues oneratæ omnibus rebus, utpote uino & carnibus ſalitis, & grano, ita quòd in genere omnes contenti erant de dominio regis, exceptis forſan paucis Romanis habentibus granum. Dominus etiam Papa expectabatur tunc cum deſiderio. Columnẽſes & omnes alij extranei reintrarunt urbem, & omnes ſunt in bona pace cum intrinſecis ciuitatis, qui regũtur per Senatores & conſeruatores & Marcſtallos, ſicut tempore Bonifacij regebatur. Et iſtæ gentes armorum pro maiori parte abiunt & dicunt quòd uadunt uerſus Peruſium Banderone fuerunt caſſati. Item antiqui conſeruatores & capita regionum fuerũt mutati, & facti de nouo alij loco eorum per regiam maieſtatem. Tunc prædicti Errorius, Antonius camerarius, Paulus, & alij nepotes atꝗ̃ conſanguinei, qui tunc in Curia fuere præſentes audiſſent, quòd rex Ladiſlaus pleno dominio urbem potiretur, ex hoc ultra modum læti ficati fuerunt, & aliqui eorum in priuatis ſuis hoſpitijs in Luca tripudia perinde fecerunt, ac ſi per hæc ab omnibus aduerſitatibus eis imminentibus liberati fuiſſent. Et tunc ne dicta fieret unio, & ne ciuitas Piſarum uel alius aptus locus ad faciendam dictam unionem ipſis de Papatu contendentibus concederetur, manifeſte impedire modis omnibus conabantur. Idem autem rex Ladiſlaus exiſtimans forte eo, quòd dominium urbis tunc habebat, ſe ſuper pennas uentorum euolare, ſibiꝗ̃ omnia per conſequens obedire, ac concurrens in eadem uoluntate ad impediendã dictam unionẽ cum præfatis Errorio & eius nepotibus ſcripſit Florentinis ſubdole in hunc modum.

Ladiſlao Siciliæ regi Romã recipiẽti omnia arrident, nepotes Pontificis paci Chriſtianæ aduerſantur.

Platina ſcribit hanc mẽſuram florenis XVIII tũ ueniſſe.

Literæ Ladiſlai regis ad Florentinos. Caput XXIX.

Magnifici

MAgnifici domini amici chariſſimi, ſignificatū eſt nobis ab ambaſiatoribus noſtris Lucæ morantibus apud dominū noſtrum Papam, & ab alijs ipſarum partium fidedignis, quòd pro ſchiſmate tollendo & unione in ſancta dei eccleſia reformanda, tam eidē domino noſtro Papa quàm alteri parti terras ueſtras & loca libere obtuliſtis. Quamobrem uidetur quòd idem dominus noſter ad prædicta perficiēda elegerit ciuitatem Piſarum, de qua quidem electione plurimum contentamur, nam ſcimus & pro certo tenemus, quòd ſi dicta unio in dicta ciuitate Piſarum aut alia terra fieret, quòd propter antiquam & charam amicitiam quæ inter nos uosq; ſemper fuit & erit, agenda & expedienda noſtra pro rerum agēdarum concluſione taliter diſponent & omnino fient, ac ſi in terris noſtris fieret unio ante dicta, & licet ſæpe tentauerimus ab eodem domino noſtro poſſe certificari, quomodo ſuccedente dicta unione de ſtatu noſtro poſſemus eſſe ſecuri, & remanere in ſecura proprietate dicti regni noſtri, ſicut domini Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alij uſq; ad infimos clericos, qui poſſident debent in eorum dignitatibus & beneficijs ut fertur publice remanere, nunquam id obtinere potuimus, nec per literas ſupplicationes, nec per noſtros oratores ad dictū dominum noſtrum ſæpius deſtinatos, & ob eam cauſam noſtris ambaſiatoribus literis & precibus in nullo ꝓficientibus ad tantam rem, & ne ex neglectu prætermittatur, decreuimus ad quemcunq; locum ubi unio ipſa fiet perſonaliter proficiſci, ubi fauores à uobis habere credimus noſtris præcipuis beniuolis & amicis. Eumq; parati & expediti ſumus, atq; in itinere conſtituti, rogamus magnificentiam ueſtrā attendere, quatenus nobis intimare placeat, ſi unio ipſa Piſis uel alibi in terris ueſtris fieri debeat an non, & ſi ibi eam forte contingat hortamur ut pro nobis & ſocietatē noſtra uictualia & alia neceſſaria tam ibi quàm in alijs terris ueſtris in ipſo itinere ſituatis mandare placeat ad ſufficientiam oportunam, ac inuenientur precio competenti, nec minus in loco ſtatuto uel ſtatuendo aliqua conueniens ac decens manſio præparetur, ac de omnibus per latorem præſentium quem ad hoc ſpecialiter tranſmittimus, nos placeat auiſare & reddere certiores, offerētes nos ad quælibet uobis grata. Datum Romæ ſub paruo noſtro ſigillo die III. Maij, prima inditione. Quia ſimiliter uenient per mare pro noſtra ſocietate nonnullæ galeæ & nauigia alia, ideo placeat modo ſimili emenda competenti precio uictualia facere præparari. Datū ut ſupra. Et quoniam credimus dominum noſtrum cognoſcere uiam talem unionis, unionem pacificam omnibus Chriſtifidelibus nō perducere, ſed peiorem ſciſſuram priore nos prout intereſt uelut rex uel

ſaltem

ſaltem ut perſona ſacra ad tanti boni perfectionem intendimus perſonaliter intereſſe, tam etiam pro bono publico quàm priuato, ad quod ultimum non attenderent omnes potius quàm primum, & hoc per ueſtras literas & nuncios ſpeciales unum poſt alium, & alium poſt unū ſubito intimetis, nec pro pecunia obmittatis quin eis ſatisfaciemus in promptu, ita quòd ſumus auiſati, nam auiſatum non intendimus perdere, nec in uerbis quomodolibet detineri. Datum ut ſupra.

Ex ſententia Federici ſecūdi urbis ruinam deplorat author. Caput XXX.

ECce qualiter nunc uerificatur de urbe illud, quod clariſſime Fridericus ſecundus Auguſtus de inconſtantia urbicolarum etiam tunc temporis dolens inuectiue ſcripſit eis, uidelicet ignominioſi uulgaris nominis, unde fama, quæ non abſq; uerecundæ maculæ nota urbem urbium iam infecit, & ſi nō Pontificum cum Senatorum ſuorum, maxime magnatum & uirorū illuſtrium modernorum debuiſſet corda ferire, dum tantorum nobilium ſucceſſiua progenies emiſerit aure ſurda ipſorum prædeceſſorū uobis nobilem nutrituram. Equidem iura illa priſcis temporibus fideles lactabat filios, nutriebat prouidos, receptabat honeſtos, exulabat infidos, eijciebat improbos, & impios perimebat, & ſic tunc tantis illuſtrata luminibus totius mundi regna tributaria erāt ei. Mirabilis igitur imò ultra quàm dici poſſit miranda tam excellētiſſimæ urbis cæcitas, & tantorum ciuium obſcuritas oculorum. Imperiū enim urbis, orbiſq; lumen ſplendidum, per quam urbs ipſa ueneratur, ſcilicet imperatorem Romanorum turpiter abijciunt, regi hoſti imperij natiuo fatue abhorrendo.

Gregorius cum à creatione nouorum Cardinalium nullis precibus dehortari poſſet, contra iuſiurandū ſuos nepotes in Cardinales erigit. Caput XXXI.

CErtus itaq; Errorius de intentiōe regis Ladislai, quòd rex unionem ne fieret unà cum ipſo modis omnibus impediret, cœpit animum erigere, necnō cum dicto regente Lucæ tractare, quòd Epiſcopum Lucanum, qui in gradu propinquo conſanguineitatis attinet eidem regenti, & ſecum quoſdam alios Cardinales creare uellet, & hoc fecit mala intētione, ſcilicet quod ſi hoc fieret, tunc idem regens ſibi annuiſſet, ut quæcunq; contra alios

eius Cardinales machinabatur etiam pœnaliter exequi poſſet, ſciens quòd dictus Rector Lucæ erat compater regis Ladislai, & ipſum ut ſuperius tangitur, præcipue diligebat. Hos quidem antiquos Cardinales odio & rancore contra eos conceptis uehementer habebat exoſos, & libenter eos acriter puniuiſſet, eo quòd ipſum ad faciendã unionem ſolicite ſtimulabant, ſi dictus regẽs in hoc ſibi annuiſſet. Vnde contigit, quòd de omni natione ſuæ obedientiæ multi clariſſimi uiri ad Curiam confluxerunt, ut unioni ſi fieret perſonaliter intereſſent, uolentes in hoc ipſum Errorium confortare, aliquãdo infra octo uel plures dies ad ipſum non admittebantur per custodes portarum palatij Errorij, & deinde uirus, quod concepit de creandis dictis nouis Cardinalibus expuendo quadam die dictis ſuis Cardinalibus corã eo ſimul congregatis dicebat, quòd utiq; quatuor nouos Cardinales uellet creare. Sed ipſis Cardinalibus iterum ſibi in hoc contradicentibus, dicebat quòd quicquid ſibi placeret, illud eis diſpliceret, ſibiq; in omnibus contrarij forent. Prædictus autem regens ciuitatis Lucæ & multi alij potentes uiri præſentes hoc intelligẽtes, timuerunt magnũ ſcandalum inter Papam & ſuos Cardinales mox futurum. Ideo ipſe dominus Lucæ adiuit Errorium obnixe rogando, quòd nouos non crearet Cardinales, ſed cum eiſdem antiquis Cardinalibus in amicitia remaneret ad faciendam unionem, & addidit, ſe nolle quòd ipſe ſuum conſanguineum Epiſcopum Lucæ crearet in Cardinalem, & ſi ſecus fieret, certus eſſet quòd idem Epiſcopus talem nullatenus acceptaret honorem. Sed Errorius ipſe uir duræ ceruicis omnibus obauditis rationibus & precibus, quæ ſibi in hac parte fiebant, nihilominus ad creationem eorundem quatuor nouorum Cardinalium proceſſit. Et cum quadam die in eius conſiſtorio extra conſueta tempora pronunciare uellet dictos nouos Cardinales, mandauit antiquis Cardinalibus q; ad ipſum eueſtigio uenirent, ſed ipſi cauſam cognoſcentes quare pro eis miſiſſet, ſibi non obediendo in eorum hoſpitijs remanſerunt. Errorius de hoc indignatus uocari iuſſit quoſdam Epiſcopos & auditores cauſaurum palatij apoſtolici, qui tum ad manum erant, quòd uenirent ad ipſum, quos uenientes ſibi conſedere mandauit, & in eorum præſentia eoſdem quatuor nouos Cardinales pronunciauit, ſcilicet Antonium camerarium, Gabrielem Candelmarum eius nepotes, nec non protonotarium Vtinenſem ac Ioannem Dominici fratrem ordinis Prædicatorum, qui fuit de illis ſermocinatoribus coram populo, quare dictus Errorius eandem unionem non teneretur, nec poſſet ſalua conſcientia facere, ne animam ſuam damnaret, ut ſuperius recitatur. De qua quidem creatione ſubito omnes alij Cardinales & Curiales cum

Gregorius nouos creat Cardinales.

Preciũ non uile laborũ ad quod q. dem ex noſtris eadem uendunt uia

les cum eis nimium contriſtati fuerunt, & extunc ipſi antiqui Cardinales per aliquot dies ad Errorium non acceſſerunt, iurabant enim & promiſerunt mutuo, quòd in eorundem nouorum Cardinalium creationẽ nullo tempore conſentire uellent. Vnde maximum diſturbium inter Papam & eius nouos ex una parte atq; antiquos Cardinales ex altera ortum fuit, Errorio uolenti quòd dicti noui creati remanerent Cardinales, antiquis Cardinalibus contradicentibus & aſſerentibus, quòd eos pro Cardinalibus non haberent. Vnde idem Errorius aſſerens quòd contra eum Cardinales ueteres conſpiraſſent in eius ſtatus offenſam, propterea ipſos iam ſibi quaſi rebelles habebat, de quibus etiam omnes ipſi Curiales plurimũ doluerunt, uidentes quòd res iſta ſine maximo ſcandalo finiri nõ poſſet. Erat enim idem Errorius adeo duræ ceruicis & inflexibilis, quòd quicquid mente cõceperat, hoc exequi uolebat, non diſcutiens intra ſe, quæ ſequerentur.

Mores Gregorij.

Cardinales à pontifice nimiũ pertinace diſcedunt. Cap. XXXII.

Sed ipſi antiqui Cardinales extunc deliberarunt, quòd ab eodem Errorio oportunitate captata uellent recedere, & ubi remanere tuto poſſent declinare, quod Errorius ſentiens ſub grauiſſimis pœnis dictis antiquis Cardinalibus præcepit, ne aliquis eorum abſq; ſui licentia ſe abſentaret à Luca, nec ad tractandum aliqua abſq; eius licentia ſimul conuenirent, neq; cum ambaſiatoribus partis aduerſæ uerba ſeu tractatus haberẽt. Vnde antiqui Cardinales de eorum ſtatu non mediocriter dubitabant, neue Errorius eos male tractaret ueriſimiliter trepidabant, prout reuera ſeciſſet, ut multis indicijs euidentibus apparuit, ſi commode potuiſſet, at regens Lucæ eidem Errorio dicebat, quòd nollet ut alicui Cardinali uel alteri fieret iniuria uel uiolentia in ciuitate Luca eiuſq; diſtrictu per eundem Errorium ſuoſq; officiales, quia omnibus ipſis ſecuritatẽ in illis ad effectum faciendi dictam unionem libere conceſſiſſet, non ad faciendam ſeditionem inter ipſos uel rixas ad diuiſiones ſeu iniurias ſuſcitandas. Sed dum ſic negocia in eadem Curia fierent bo. me. Ioannes Cardinalis Leodienſis natione Normannus doctor in iure ciuili, necnon uir magnæ probitatis & induſtriæ quadam die Veneris tempeſtiue habitu mutato cum modica comitiua ab Errorio non petita licẽtia uel obtenta à dicta ciuitate Luca recedens, ad caſtrũ quod Liberum factum nuncupatur, & eſt ſub dominio Florentinorum diſtans à Luca quatuor miliaria Italica, quantotius potuit equitauit, ut ad eandem Ciuitatem Piſanam, quæ ſex miliaria Italica diſtat

Cardinalis Leodienſis uir clariſſimus clam abit à Pontifice parũ utili.

ulterius equitauit, quod audiens prædictus Paulus nepos Errorij ſtatim de Luca multos armigeros deſtinauit, mandãs eis quòd dictum Cardinalem caperent, & captiuum ad Lucam reducerent uiolenter. Quibus euntibus ipſe Paulus cum quibuſdam alijs ſatellitibus domũ habitationis dicti domini Cardinalis interim uiolenter intrauit, & bona ibidem reperta tranſportari mandauit, & quoſdam eiuſdẽ Cardinalis familiares, qui in Luca remanſerunt, tanquam reos & conſcios dicti receſſus cepit, & in carceribus intruſit. Prædicti uero armati, q miſſi fuerũt, uſque ad dictum caſtrum eundem Cardinalem uelociter inſequentes eum deſcendentem de equo ante publicum hoſpitium ui capere nitebantur, ita quòd ſtatim occurrentibus in auxilium cuſtodibus dicti caſtri uix potuit euadere manus inſequentium prædictorũ, tandem præualuerunt cuſtodes perſequentes ui repulerunt. Audiens autem idem regens ciuitatis Lucæ, quòd ſatellites de mandato Pauli tantam contumeliam & uiolentiam in territorio Florentinorum cõmiſiſſent, timens forte quòd ægre ferrent, occaſionem quam caperẽt per hoc ipſi regenti guerram mouendi, eueſtigio dictos ſatellites capi & incarcerari mandauit, familiares quoque eiuſdem Cardinalis Leodienſis fecit ab eiſdem carceribus liberari, propter quæ prædictus Paulus nepos Errorij ira commotus ad eundem regentem acceſſit, rogãs eum quare dictos ſuos captiuos à carceribus liberaret, & ſuos incarceraret. Cui dictus regens reſpondiſſe fertur, quòd non dediſſet ſaluum conductum Errorio prædicto, aut aliquibus alijs ad perpetrandum flagitia & uiolentias in ſua ciuitate uel diſtrictu. Vnde ſcire deberet, quòd ſi prædicti Florentini uellent præfatos captiuos, eis remittere uellet ad ſtandum iuri ſuper commiſſis & uiolentijs huiuſmodi in eodem caſtro, quia nollet diſplicere dictis Florentinis pro Errorio & Paulo ſæpedictis, & ipſos captiuos uellet tamdiu detinere, quouſque dicti Florentini ſuper hoc ſibi quid de ipſis captiuis eſſet agendum reſponderent. Et ſi eidem Paulo placeret cum dictis captiuis eſſe in carceribus, intraret, aut ſi tutus uellet eſſe ab ipſo, quòd tunc ab eadem ciuitate non recederet, niſi prius de damno & periculo imminentibus ſibi propter huiuſmodi uiolentias commiſſas in caſtro releuatus exiſteret per Errorium & Paulum. Quibus auditis Paulus timere cepit, & carceres non intrauit, dictis armatis ſuis extunc pluribus diebus remanentibus in illis, qui tamen poſtea conſentientibus eiſdem Florentinis relaxati fuerũt. Et ſtatim eadem die aliqui de ipſis antiquis Cardinalibus cum eorum familia & rebus recedentibus à Luca ad ciuitatem Piſanã acceſſerunt, nullo eos impediente. timor enim & tremor tunc adeo inualuerunt in Errorio & eius nepote Paulo, quòd recedentes Cardi-

Paulus nepos Cardinalis Leodienſis bona diripit, & manus perſecutorũ uix euadit idem Cardinalis.

Vir uirum dedit recte reſpondit.

tes Cardinales impedire in aliquo nõn audebant. Et eadem die illic dictus Cardinalis ſancti Angeli ueniens', poſtq̃ Errorio aliqua uerba locutus eſſet, à præſentia eiuſdem recedens, reuertebatur ad Piſas. Tribus ex huiuſmodi antiquis Cardinalibus tunc in Luca remanentibus, qui credebant Errorium nihilominus flectere, quòd eandem unionem faceret. Videntes autem ſe in hoc nullatenus proficere poſſe, ſimiliter ab ipſo Errorio tandem ad fratres eorum qui tunc erant in Piſa abierunt.

Cardinales paſſim à Papa diſcedunt, eius impias cenſuras ridentes. Caput XXXIIII.

ITaq; cum hæc taliter fierent, Errorius & ſibi adhærentes noui Cardinales multa conſilia inter ſe habuerunt. Ipſeq; Errorius comminabatur antiquis Cardinalibus, quòd niſi infra paucos dies redirent ad Lucam, eos ſtatu, gradu, honore, dignitatibus, officijs & beneficijs priuaret, & interim etiam palpabat quòd aliquos Cardinales qui ab ipſo fugerunt ſecrete ad ſe reuocaret, promittẽs ſe facturum magnalia ſi redirent, ſicq; conando diuiſionem facere inter ipſos. Qui hoc intelligẽtes, quia fruſtra rethe iacitur ante oculos pennatorum, ſibi reſponderunt, quòd ipſum Errorium haberent pro Papa & omnem reuerentiam necnon obedientiã ſibi parati eſſent exhibere dimiſſis omnibus rancoribus, ſi tamen adhuc cum illis ad faciendam dictam unionem efficaciter concurrere uellet, & ſuper hoc ei de die in diem aliqui eorum ſingulares nuncios deſtinabant, ſed tandem uidentes ſe etiam in hoc non proficere, nec ipſius Errorij caput ad hoc precibus aut ratiõibus flectere poſſe, quandã appellationem à ſuis comminationibus ſiue proceſſibus interpoſuerunt, quæ infra paucos dies ſibi poſtea tunc ſedenti in eius cõſiſtorio cum eiſdem nouis Cardinalibus multis tunc præſentibus ex Curialibus ipſi inſinuari fecerũt. Cui quidem appellationi idem Errorius ira incaleſcens motu repentino reſpondit, quòd ei tanquam friuola non deferret, & infra aliquot dies poſtea eoſdem Curiales, qui acceſſerant ad Piſas, dictus Antonius camerarius in genere priuauit beneficijs & officijs, quod ipſi ſentientes ualde ludicram & turpem appellationem à ſententia priuationis huiuſmodi interpoſuerunt in ſcriptis, & eam in diuerſis locis publicis in Luca affigi fecerunt, ipſum Errorium & ſuos nouos Cardinales multifarie diffamando. Quod autem prædicti Cardinales, qui ut præfertur fugerant contra eundem Errorium non conſpirauerunt, nec ab ipſius obedientia recedere uolebant ſi re-

uera dictam unionem facere uoluiſſet iuxta uota & iuramēta ſua, eui-
denter patet etiam ex reſponſione dicti domini Cardinalis Leodien-
ſis facta poſtq̧ à Luca fugerat, ſuper quibuſdam literis de Luca ſibi
per quendam amicum miſſis, quarum tenor talis eſt.

Sententiæ atq̧ literæ Cardinalis Leodienſis, quatenus Papæ ſit obediendum. Deq̧ Gregorij ſubdolis machinationibus contra unionem ſatis apertum eiuſdē teſtimonium. Caput XXXIIII.

Venerabilis amice chariſſime, ſcripta uidimus per latorem
præſentium oblata, quibus per ſingula reſpondere non p
mittit temporis anguſtia, & etiam lator ipſe cauſam latius
referri poterit, unum non intendentis omittere, quòd ab
obediētia & iuſticia hactenus obſeruatis nunq̧ recedere, certum eſt,
iuramētis & obligationibus efficaciſſimis eſt firmatū, & ſic apparet
mendaciſſime illa, quæ ſcribitis fuiſſe diuulgata. Vnū ſolum eſt ſtu-
dium uſq̧ ad mortem incluſiue perſequendum uotis promiſſis & iu-
ratis atq̧ per mundum uniuerſum tam publice diuulgatum, & unio-
ni eccleſiæ uelle inſiſtere, & ſic authoritatum rationiūe multiplicata
congeries locum habebat, ſuoſq̧ intellectus locis & temporibus co-
artatos. Ita tamen eſt uera & ſana doctrina, quæ in nullo aduerſa-
tur eiſdem, quòd deo magis obediendum eſt habetur. Si enim illa
Papa mandet uel ad ea cogere uellet, quæ animas in præcipitium du
cunt, & animæ perditionem includunt, ſibi non fore obediendum iu
re diuino & humano notiſſimum eſt, ſecundū doctores ſanctū Augu
ſtinū, Ambroſiū, Bedam, & alios, imò non obediendo & propter hoc
eius ſeueritates ſuſtinendo & cenſuras meretur homo. Iſta pronunc
ſufficiant, tacemus de modis hactenus obſeruatis in faciendo & non
faciendo, & lapſu temporis tanti, in quo quid & quantum actum ſit in
cauſa dei, & ſub quibus coloribus & quantum fundatis, ex quibus,
quanta affectio fuit tollendi ſchiſmatis, & ſi illa ad fautoriam magis
pertineant non intendimus nos dilatare. Poſtea tamen de hoc uideri
poterit plenius, & quid mundus quo adhoc reputet aut teneat, unuſ-
quiſq̧ poterit perpendere. Vnum eſt quòd nihil aliud agitur, quàm
mundo & Chriſtianitati languentibus, & conſcientiæ atq̧ famæ pro-
uidere cum omni ſinceritate & charitate, prout cunctis hoc fiet mani-
feſtū. Aliud præmiſſis non obſtantibus cum feſtinantia duximus
adiungendum, quòd quicunq̧ ſunt illi, quibus talentum à domino
quale & quantum cuiq̧ creditum eſt, maxime qui ſtatu eccleſiaſtico
glorientur,

Heu quàm uere languētibus, ſi ad hoc noſtrū ſeculum referas, ſed quomō ijs tamdiu languentibus pꝛuideatur nondū uideo, ſatis iam ſentimus atq̧ cernimus meliora, at ſequimur deteriora.

gloriantur, ſuntq́ illuminati ſcientia, & ſe unionis zelatores eſſe profitentur, ſe ad currum deberent adiungere, & etiam cooperatores exiſtere, illi maxime quibus innoteſcit quanta fuerunt hactenus adhibita molimina non ad unionem ueniendi iuxta promiſſa & iurata, ſed potius impediendi & ea pro poſſe reprobãdi. Scripta Piſis altera die aſcenſionis. Eo tempore multum eleuatum fuit cor regis Ladislai, poſtq́ dominium urbis taliter ſortitus erat, ut ſuperius narratur. Vnde ſub magna pœna omnibus notarijs publicis ſub eius ditione conſtitutis mandauit, quòd in publicis decretis quæ conficerent hunc titulum eius inſcriberent, uidelicet, Regnante ſereniſſimo & inuictiſſimo domino noſtro, domino Ladislao inclyto dei gratia Hungariæ, Hieruſalem & Siciliæ, Dalmatiæ, Croaciæ, Romæ, Seruiæ, Saliciæ, Lodomiriæ, Comaniæ, Bulgariæ rege præclariſſimo, necnon prouinciæ & Fortalquerij ac Pedemõtium comite, regnorum eius anno XXII. feliciter amen. Præterea illis temporibus quibus iſta fiebant negocia, Curiæ ipſius Errorij indies in peiorem deuenerunt euentũ, & paſſim oratores & nuncij qui illic pro ſolicitanda dicta unione undiq́ uenerunt, ac multi de Curialibus cateruatim receſſerunt. Sed inter Errorium & qui ab eo fugerunt Cardinales prædictos quotidie rancores multiplicabantur, nec poterunt ipſo Errorio recuſante ad unam ſententiam dictæ unionis in ſimul conuenire, unde prædictus Petrus de Luna, qui tũc erat in Portuueneris ſub dominio Ianuenſiũ has diſcordias inter Errorium & ſuos antiquos Cardinales ſentiens, & ex hoc forſan exhilaratus, prædicto Angelo ſcripſit epiſtolam quæ ſequitur, quam etiam in alia litera inſertam de uerbo ad uerbum ipſi regenti Lucæ deſtinauit, cuius tenor talis eſt.

Ladislaus Hungariæ ac Siciliæ rex.

Epiſtola Petri de Luna, qua ſale multo Gregorium perfricuit. Caput XXXV.

BEnedictus Epiſcopus ſeruus ſeruorum dei dilecto filio nobili uiro Paulo domino Lucæ ſalutem & apoſtolicam benedictionẽ. Propter nonnulla in quibuſdam partibus innouata, quæ ſenſibus quaſi palpantibus nobis innoteſcũt conſiderato, præſertim quòd cum Angelo dicto Corario, qui in hoc pernicioſo ſchiſmate ſe facit appellari Gregorium, poſt uarios & ſæpe tentatos labores non ſine perſonarum iactura aliquem effectũ ad bonum finem eccleſiæ unitatis obtinere nequiuimus, de uenerabiliũ fratrum noſtrorum conſilio & frequenti eorum inſtantia pulſari deliberauimus pro præſenti corporali præſentia deſerere partes illas, &

nos cum

nos cum collegio noſtro reponere in ſecuro, ut igit̃ ſcias eccleſiaſtica
negocia qualiter remaneant ꝓ præſenti elicere poteris ex tenore lite-
ræ, quã ſcribimus dicto Angelo Corario ſub hac forma. Angelo Co-
rario qui in hoc ꝑnicioſo ſchiſmate ſe fecit nominari Gregorium, pa-
cis & unionis affectum pariter & effectum. Si te fateri ueritatem non
pigeat, præſertim cum ſit notorium, celare non poteris ea quæ tuis li-
teris intimandi etiam promulgaſti per orbem, ut ex utriuſq; ceſſione
pax daretur eccleſiæ, & quòd ſcriptis tuis per nos ad hoc ceſſionis uiã
offerendo dato reſponſo & de conuentione in ciuitate Saonenſi pro
excuſatione oblatorum hincinde ſecuta concordia conuenire in ſtatu
tis terminis renuiſti, & quibuſdam interpoſitis parte excuſationibus
friuolis poſt dilationes uarias à te datas poſt aduentum noſtrum ad-
hũc locum, ad quem nos traxerunt Chriſti charitas, & feruor compaſ-
ſionis animarum bona fide ſimpliciter incedentes, non abſq; noſtri
atq; noſtrorum fatigatione & graui perſonarum iactura per plurium
menſium interualla cum Chriſtianorum ſcandalo renuiſti, cauteloſe
per uerba, & quod referimus diſplicentur multis etiam per te oblatis,
quæ ad executionem concordatorum ad unionem perficiendam erãt
plurimum utilia & oportuna. De uberiori tecum tractaturi ſuper hu-
iuſmodi unione proſequenda omnem ſpem tollendo nũcios noſtros
pro rogatione ſalui conductus & audientiam denegando, à tua præ-
ſentia uacuos remiſiſti. Hoc autem libenter ſilentio tranſiremus, niſi
tua contumacia reciperet ex noſtra taciturnitate fomentum. Poſtq;
autem apud te paſſa eſt frequens noſtra inſtantia repulſam propter
quædam in nonnullis partibus, quibus inſtigantibus innouata abſq;
perſonali noſtro & noſtrorum periculo in his partibus moram trahe
re non ualentes, cum apud te ut clare cernitur perficere non poſſum,
nolentes deum tentare imminente periculo ad aliquem locum, ubi
nos cum noſtro collegio ualeamus hæc turbationis tempore repone-
re in ſecuro, de fratrum noſtrorum conſilio eorumq; inſtantia pulſati
decreuimus declinare. Sed ne uideamur, ſicut nec intẽdimus aduerſi-
tate intercedente huiuſmodi proſecutionem unionis dimittere negle
ctam, de dictorum fratrum conſilio deliberauimus nuncios noſtros
plena poteſtate fulcitos, qui ſi uelles ad cor reuerti poſſent ad effectũ
unionis & oblatorum procedere efficaciter in agendis hic dimittere.
Impedientibus tamen ambaſiatoribus chariſſimi in Chriſto filij no-
ſtri Caroli regis Francorum illuſtriſſimi in his partibus moram tra-
hentibus, ſaluus conductus dictis nuncijs nececeſſarius non potuit
obtineri, quid autem ſuper hac re ſimus ulterius deo auxiliante factu-
ri, intendimus uniuerſis Chriſtifidelibus breuiter intimare. Tu uero

ó homo ſi ſcintilla compaſſionis animarum in te uiget, quæ ſecundū deum pro bono unionis agenda reſtant, conſidera & ad ea qua obligaris pro dei miſericordia te diſpone, reſecatis carnalibus deſiderijs, quæ contra animas militare nō ceſſant. Nos enim per oblata per nos ſemper promptos reperies, præteritos defectus tuos & contumaciam ſi bene egeris in memoria non tenentes, deum enim in iudicem & negociorum notorietatem in teſtem inuocamus, quod per nos non ſtetit, ſtat aut ſtabit, quin uera unio inducatur. Idus Iunij Pontificatus noſtri anno XIIII. Cumq; poſtea dictus Errorius necnon noui Cardinales per eum creati multas diffamationes, necnō improperia ab ipſis Curialibus, qui fuerunt in Piſa in ſcripturis diuerſis Lucæ appoſitis frequentiſſime ſuſtinerent, dictusq; Ioannes Leodienſis & bonæ memoriæ Angelus Florentinenſis Cardinalis, qui etiā erat de ipſis Cardinalibus qui ab Errorio fugerunt, medio tempore deceſſiſſent, necnon præfatus Petrus de Luna cum aliquibus ſuis Cardinalibus ad regnum Aragoniæ per mare declinaſſet, tunc Errorius pro ſua executione ut nihilominus crederetur quòd eandem unionem adhuc facere uellet, generale Concilium per eum celebrandum indixit, ut patet in eius literis deſuper confectis, quarum tenor talis eſt.

Gregorius Concilium ad Aquilegiam indicit. Caput XXXVI.

GRegorius ad futuram rei memoriam, cū tota noſtræ mentis intentio ſit Chriſtianorum eccleſiam reunire, palpato per experientiam rerum magiſtram quòd per uiam renūciationis obſtante iniquorum malitia id efficere hucuſq; nequiuimus, quam pure & ſincere obtulimus, & perſeuerantes perſtitimus, & adhuc perſiſtere non deſiſtimus, ſecundum formam & intētionem noſtri uoti & iuramenti reſcientes dudum ſecreti conſilij ſæpenumero ad effectum de iuramentis, quia uanæ ſunt cogitationes hominum, ad uiam iuribus & antiquis conſuetudinibus approbatā nos conuertimus, generale concilium, quod omnes uias ad unionem concludit nullam penitus excludendo, quodq; congregare ſolius Romani Pontificis eſſe dinoſcitur, ſine cuius authoritate factum nō Cōcilium ſed Conciliabulum aut conuenticulum dicitur, & diffinit nullum exiſtere, ad feſtum Pentecoſtes immediate ſequenti, & in prouincia Aquilegenſiū & ex Archatu Rauennatis diuino auxilio de fratrū noſtrorum conſilio authoritate apoſtolica præſentium tenore indicimus & etiam conuocamus, per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus

nus uenerabilibus fratribus noſtris uniuerſis & ſingulis patriarchis Archiepiſcopis & Epiſcopis & dilectis filijs electis, & alijs eccleſiaſticis prælatis, ac reliquis in prælaturis & dignitatibus conſtitutis, qui ſolēt ex dignitatibus & prælaturis eorum in huiuſmodi generalibus Concilijs intereſſe, quatenus ad id ſe perſonaliter in eiſdem loco & tēpore transferant debito, ſcituri locum quem ex eis duxerimus eligendum, quem quidem locum nunc expreſſe determinare & denunciare nequiuimus propter uarias circumſtantias, quibus locus talis unitatis & pacis debet merito circumcingi. Et quoniam peſtiferū hoc ſchiſma tolli ueriſimiliter non ſperatur, nec dari integritas populo Chriſtiano cum effectu ſine dominorum temporalium uoluntate, quorum honor & ſtatus tangit. Chariſſimos in Chriſto filios noſtros Rupertum Romanorū & alios reges, & nobiles uiros, duces, principes, cæteroſq; potentes, necnon communitatum & uniuerſitatū regimina principalia requirimus, monemus & hortamur in domino, quatenus ad idem Concilium perſonaliter ueniant, aut aliquos uiros ſolennes, doctos & deum timentes tranſmittant, ut fiat deo annuente pax & unitas eodem in populo Chriſtiano. Nulli ergo &c. noſtræ indictionis mandati requiſitionis, monitionis & exhortatiōis infringere. Si quis autem &c. Datum Lucæ VI. menſis Iunij, Pōtificatus noſtri anno ſecundo. Subſequenter uero circa finem menſis Iunij Gregorius cū pauca comitiua Curialium & etiam armigerorum à Luca recedens multū extenuatus in facie, & liuidi coloris ac ſi iam in puncto mortis exiſteret, ſub ſaluo conductu eiuſdē Florentinorū datis ſibi etiam per ipſos prout petijt ſufficientibus obſidibus, donec eſſet in loco tuto, ad eandem ciuitatem Senenſium reuertebatur, ubi ſatis honorifice ut creditur ob reuerentiam regis Ladislai, quem Senenſes tunc & ante reuerebantur & diligebant, per ciues & communem populum recipiebat, credidit tamen tunc ire uerſus Ariminum recta uia, ſed hoc eo iter agente fuit quomodolibet impeditū. Stando igitur tunc per tres mēſes uel circiter Senis, interim ad dilatandum ſchiſma alios nouos Cardinales creauit, & poſtea uerſus Ariminum tranſiuit, ubi etiam hiemādo in quadrageſima tunc inſtanti ad terram ciuitatis Auſtriæ Aquilegienſis dioceſis acceſſit, & ibi circa feſtum Pentecoſtes tunc ſequens ſuum conciliabulum celebrauit, paucis exiſtentibus ibi Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs eccleſiaſticis prælatis aut procuratoribus eccleſiaſticorū prælatorū, necnō principum ſecularium, qui in generali Cōcilio per ſummum Pontificē conuocato de conſuetudine & more intereſſe tenentur. Præfatus uero Petrus de Luna in ipſo regno Aragoniæ tunc temporis aliud Conciliabulū, in quo erant q̄plures Epiſcopi, Ab

pi, Abbates, & alij eccleſiaſtici prælati de Hiſpania, Cathalonia & qui buſdam adiacentibus prouincijs de ipſius obedientia celebrabat. In quo quidem Conciliabulo per eundem Petrũ facto, in diuerſis ſeſſio nibus dicti Epiſcopi & alij ſui prælati, qui illic conuenerant conſulue runt finaliter in hæc uerba.

De conſultatione atq; reſponſione concilij per Petrum de Luna in Aragonia celebrati ſuper ſchiſmatis materia. Caput XXXVII.

SAnctiſſime ac beatiſſime pater, hoc ſacrum Concilium ad id, quod in ultima ſeſſione per V.S. primo loco propoſitum fuit, humiliter & deuote reſpondit, ꝙ conſideratis & diligenter attentis his, quæ pro ſeruitio dei & unione ſanctæ matris Eccleſiæ & ſalute omniũ fideliũ S.V. obtulit, acceptauit & proſecuta fuit, non parcendo laboribus, periculis & expenſis, conſideratis etiam iniurijs, oppreſſionibus, turbationibus & impedimentis, quæ nobis aliquorũ præſumptione ingeſta ſunt, necnon uariationibus, cauillationibus, refutationibus ac inconſtantia intruſi moderni & ſuorũ prædeceſſorũ, conſideratis etiã profeſſionibus & proteſtationibus per S.V. hoc ſacro Concilio & aliàs factis, quas reputat ſufficientes, quæ omnia aperte liquent ex lectione geſtorũ à tempore aſſumptionis V.S. ad apoſtolatus apicem, uſq; ad tẽpus præſens, pro quibus oĩbus S.V. & hoc meritũ apud deũ & perpetuum apud homines præconiũ reportare mereẽ, ipſum ſacrũ Conciliũ matura deliberatione ſuper his habita puro corde & ſincera intentione credit, tenet & reputat uos fidelem Chriſtianũ atq; Catholicũ ac uerũ Chriſti uicariũ, nec credit nec reputat uos Pater ſancte, eſſe uel fuiſſe ſchiſmaticum uel hæreticũ, nec macula ſeu fautoriæ ſchiſmatis ſeu hæreſis irretitum, & quãto humilius poteſt hoc ſacrũ Conciliũ V.B. gratias agit pro præmiſſis ex cordis intimis ſeipſum deuote offerens ad V.S. obſequia, deum ſuppliciter exorans, ut S.V. in hoc ſacro unionis negocio dirigere dignetur ad ipſius laudẽ & gloriã, totius populi Chriſtiani pacem & quietẽ. Sanctiſſime ac beatiſſime pater, hoc ſacrũ generale Conciliũ ſupplicat & cõſulit humiliter & deuote S.V. primo ꝙ nõ obſtante quibuſcunq; perſecutionibus & impedimentis uobis datis, dignemini propter deũ & bonũ Chriſtianitatis proſequi efficaciter ſanctũ unionis ſanctæ matris eccleſiæ per uiam renunciationis oĩbus alijs uijs prætermittendo, nulla tñ alia uia excluſa. Item ſupplicat & cõſulit præfatũ Conciliũ S.V. quatenus oblationem per S.V.

factam intruſo de renunciatione in caſu renunciationis uel mortis dignemini extendere ad caſum deiectionis eiuſdem intruſi, ſi fiat ſecundũ fidem & obedientiã partis ſuæ, & etiã effectualiter de facto. Itẽ ſupplicat & conſulit præfatum ſacrum Concilium S. V. pro celebri & debita concluſione præmiſſorum obtinenda dignemini certos nuncios, probos uiros, deum timentes, ad hoc idoneos nomine & pro parte S. V. & ueſtri collegij ac totius ſacri Concilij mittere ad intruſum & ſuos Anticardinales cum ipſo Piſis & alibi degentes, necnon ad illos dominos Cardinales Piſis exiſtentes, & ad illos qui in hoc ſancto unionis negocio proficere potuerunt, cum plena ac libera & ſufficienti poteſtate tractandi concordiam, firmandi & obligandi omnia & ſingula neceſſaria & utilia ſeu oportuna ad præmiſſa, & prout eis uidebitur tempus breue & congruum & locum idoneum & ſecurum, ac de ſecuritatibus & libertatibus in eundo, ſtãdo & redeundo, recipiendi, concordandi & obligandi, in quo S. V. illa omnia quæ concordata & firmata fuerint per ipſos efficaciter exequatur perſonaliter, uel ſi perſonaliter ire noluerit, uel infirmitati corporali impedita fuerit, per alium ſeu alios habentes plenariam & liberam poteſtatem ad omnia, quæ S. V. facere poſſet, uſq; ad renunciationem incluſiue. Item ſupplicat, conſulit præfatum ſacrum Concilium S. V. quatenus dignemini formam procuratorij in prædictis caſibus faciendi, mandandi, ordinandi, pleniori & meliori modo quo fieri & ordinari poterit. Item ſupplicat & conſulit præfatum ſacrum Concilium, quatenus dignemini tales conſtitutiones facere & prouiſiones adhibere, quod ſi non ante obtentam unionem (quod abſit) contingeret S. V. ab hac uita ad aliam euocari, poſſit ad unionem debite & canonice procedi taliter, quòd poſt obitum S. V. propter defectum prouiſionis non differretur ſeu impedireẽ unio, aut, quod abſit, ſcandala uel ſubſchiſmata ſuſcitare, dignetur S. V. per debitas conſtitutiones ſeu remedia prohibere & prouidere, ne ad ſimilia perpetranda procedant ſub pœnis decretis & prohibitionibus ad hoc neceſſarijs & oportunis. Subſcripta cedula fuit per Cõcilium oblata domino noſtro, & per eum benigne & ſimpliciter acceptata, cauſa acceptatiõis & cõtentationis de acceptatione factum fuit inſtrumentum publicum manu domini noſtri & omnium de Concilio ſubſcriptum.

Cardinales utriuſq; partis Piſis conuenientes, & generale Concilium indicentes, Gregorium citari faciunt, quos ille tamen facile contemnit.
Caput XXXVIII.

Cum

CVm autem dictus Petrus de Luna ad prædictum regnum Aragoniæ VIII. uel IX. de Cardinalibus ſuis, qui ſecum erant, ad diuerſa loca propinqua, quia tunc erat æſtas, ſub recreationis colore declinarunt ab ipſo, quorum aliqui ad Liburnum, alij portum Piſanorum, ſed nouiter ab eo ſegregatum & dominio eorundem Ianuenſium qualitercunq; additum acceſſerunt, cauſa cum eiſdem Cardinalibus qui ab ipſo Errorio fugerant illuc accedentes per plures dies inſimul conuerſati fuerunt, ſed tamen ſine fine concluſionis, quia nec dum habebant determinatum locum idoneum eis conceſſum, in quo ſimul cõuenire atq; generale Concilium ex utraq; obedientia conuocare pro facienda unione libere poſſent. Sed tandem dominus Balthaſar ſancti Euſtachij diaconus Cardinalis per eundem Bonifacium ad illum gradum aſſumptus, tunc & nunc fungens officio legationis in ciuitate Bononienſi & eius comitatu pro Romana eccleſia, ac modernus Papa Alexander tunc Cardinalis & dominus Ioannes nepos dicti Innocentij & per eum in Cardinales creati circa feſtum aſſumptionis beatæ Mariæ uirginis anni proxime præteriti de Bononia ubi tunc fuerunt, uolentes eoſdem alios Cardinales tunc Piſis exiſtentes uiſitare, ad Florentiam iter egerunt, & ibi honorabiliter recepti obtinuerunt à Florentinis concedi ciuitatem Piſanam prædictam ad conueniendum ibidem ſimul cum eiſdem Cardinalibus Gallicis ad faciendum omnia quæ eis uidebantur fore pro dicta unione ſubſequenda quomodolibet oportuna, & ſiculterius dicta licentia obtenta ad Piſas declinarunt, ubi tunc eorum cõfratres & dictos Cardinales Gallicos congregatos inuenerũt, in qua ad proſequendam dictam unionẽ generale Concilium utriuſq; obedientiæ celebrandũ conuocarunt in feſto annunciationis beatæ Mariæ uirginis tunc inſtanti proxime, ſed iſte terminus ad alium breuẽ terminum poſtea ſurrogatus fuit, & duo ex eiſdem Cardinalibus obedientiæ noſtræ iuerunt ad ciuitatem Senenſem præfatam, in qua Errorius cum ſua Curia reſidebat, cauſa eum citandi ſiue uocandi ut ad prædictum generale Concilium accederet, ac eius determinationi ſi uellet per ſe uel per alium ſeu alios intereſſet, quos tamen præfatus Errorius ad ſe uenire non ſinebat, imò per aliquos magnæ authoritatis uiros interpellatus & rogatus, ut ipſos audiret, illud pertinaciter facere non curabat, ſed ipſi miſſi Cardinales facientes ſolicitam diligentiam in commiſſis, & publicantes apud eccleſiam maiorem Senenſem, & in quibuſdam alijs locis publicis corã tabellionibus & teſtibus multis cauſam, quare illic uenerant ad citationem, quam eidem Errorio intimare uolebant, publice legi fecerant, cuius copiam etiam diuerſis

Balthazar de Coſſa poſt Ioannem 24. appellatus, quẽ Ludouicus Palatinus in Cõcilio Cõſt. depoſitum arce Manheim ad Renu litus cuſtodiendum recepit.

portis in eadem ciuitate Senenſi affixerunt, & affixam relinquẽtes ad eorum confratres redierunt. Ipſe autem Errorius dicebat, quòd dictã citationem non curaret, adijciens quòd prædicti Cardinales generale Concilium abſq; eius licentia & uoluntate conuocare non poſſent, in quo etiam uehementer errauit, ut peritis in iure notum eſt, quod etiam ratione probatur, nam quòd duo uel plures cõtendentes de Papatu & in diuerſis regionibus morantes niſi concorditer in aliquo loco ſuper hoc in ſimul conuenirent generale Concilium celebrare poſſent non uidetur. Ex quo infertur, quòd cum quilibet eorum ſeorſum cum prælatis ſuæ obedientiæ celebraret Concilium, hoc reuera nullatenus dici poſſet generale ſed particulare Concilium aut Conciliabulum, ſicuti ſeorſum quilibet ipſorum Errorij & Petri de Luna ſuum Conciliabulum in ualde remotis ſeu ſeiunctis locis celebrarunt, & ꝑ hac parte ſunt multæ euidentiſſimæ rationes in iure, quæ hic non ueniant ſibi locũ, ea de cauſa illas præſentibus inſerere nõ curaui, quãuis forte multi pacis eccleſiæ æmuli, nec intelligere uolentes ut bene agant, contrarium aſſerere, ipſosq; Errorium & Petrum in eorum erroribus defendere non formident.

Cardinalis Barenſis anno domini M. CCCC. IX. ad Germaniam legatus illic prælatos ad Concilium conuocat. Item quæ tum in Cõcilio acta ſunt, & quomodo Rupertus Romanorum rex Gregorij partes fouerit. Item quomodo Epiſcopus Vormacenſis Ruperti legatus à Gregorio Cardinalis pronunciatus id honoris recuſauerit. Caput XXXIX.

ANno uero domini M. CCCC. IX. circa feſtum Epiphaniæ uenit dominus Landolphus Cardinalis Barenſis, de quo ſupra fit mentio, ad Franckfordiam Maguntinenſis diœceſis miſſus ad ipſam Germaniam per præfatos dominos Cardinales utriuſq; obedientiæ, qui tunc reſidebant in Piſis ad conuocandum eccleſiaſticos prælatos & principes Alemaniæ ad ueniendum aut mittendum ad huiuſmodi generale Concilium Piſis celebrãdum, & multum honorifice ubiq; locorum per quæ in Germania trãſiuit per clerum & populum receptus fuit, & tunc etiam ad Franckfordiam huiuſmodi Maguntinenſis & Colonienſis Archiepiſcopi multum potenter acceſſerunt, fuit & tunc ibi præfatus rex Rupertus cum ſuis conſiliarijs, necnon Henricus dux Brunſuicenſis, Hermannus Lantgrauius Haſſiæ, Fridericus marchio Miſnenſis, & Fridericus

Rupertus rex & principes Frãckfordiæ congregati.

Burggrauius

Burggrauius Nurenbergẽſis, & multi Epiſcopi, Abbates, Comites, Barones ac proceres, & pleriq; Curiales, necnon regis Francorum & regis Anglorum, atq; de diuerſis prouincijs & terris inſignes legati illic conuenerunt, ad tractandum de unione prædicta, ſed poſtquã ibi per VI. dies ſteterunt, uenit etiam ibi ſupraſcriptus Antonius nepos & camerarius dicti Errorij, cui modica reuerentia in Alemania impẽdebatur, quia dicebatur de ipſo quòd ueniſſet illuc ad turbandũ unionem, unde communis populus Germaniæ ipſum habere uidebatur exoſum, ſaluo quòd ipſe rex Rupertus eum per iter quod egit cum ſecuritate duci procurauit, & multum honorauit. Ipſe autem Antonius in propria eius perſona in præſentia aliquorum eorundem principũ & aliorum magnatum intrando prætorium Franckfordienſe, in quo etiam tunc ipſe rex Rupertus erat præſens, ualde prolixum & tedioſum fecit ſermonem, in quo dictum Errorium & eius factum iuſtificando, dictorum Cardinalium tunc Piſis exiſtentium, & præfatum Cardinalem Barenſem ſatis ſcandaloſe & obprobrioſe in publico impugnauit, adeo quòd hoc ipſis principibus & alijs præſentibus, exceptis forſan eodem rege Ruperto & qui cum eo erant, diſplicuit uehementer, & poſtea intra duos dies rex & Antonius prædicti & paulatim etiam alij ad propria redierunt, concludendo finaliter, quòd rex Rupertus ſuos & Maguntinenſis & Colonienſis Archiepiſcopi & marchio Miſnenſis prædicti eorum ambaſiatores ad Italiam mittere uellent ad ſolicitandum factum unionis. Ipſe uero rex Rupertus eundem Antonium ſecum ad Haydelbergam duxit, & ibidem multis diebus in ſuis expenſis procurauit, & ita pertinaciter partem dicti Errorij fouit in omnibus & per omnia etiam ibidem Franckfordiæ ſicut dici poſſet, non aduertens conſilia principũ & prælatorum aliorũq; ſibi conſulentium, quod utiq; conſentire deberet, quòd dicta fieret unio, & ad illud etiam dictum Errorium modis omnibus inuitaret. Poſt hoc oratores dicti Ruperti ad Italiam ad Errorium acceſſerunt, apud eum diutius remanentes, iſti uidelicet Archiepiſcopus Rigenſis, & Epiſcopus Vormacienſis, necnon electus Verdenſis, quem quidem Epiſcopum Errorius fecit Cardinalem, ſed noluit acceptare, timens forte quòd ſi illum acceptaret honorem, alius ſibi ſurrogaretur antiſtes in eccleſia Vormaciẽſi. Prædictus uero electus Verdenſis illectus & inductus doloſe per ipſum Errorium ad differendũ proceſſum unionis acceſſit ad Piſas, & Cardinalibus ibidem congregatis & ubi tunc erat magna multitudo aliorum eccleſiaſtiaorum prælatorum diuerſorumq; regum & principum oratores, quoſdam articulos pro parte dicti domini regis Ruperti tradidit, qui inter alia continebant,

Antonius nepos Cardinalis Frã. diſcordiam accedit.

Rupertus Antonium Heydelberge excipit

Ruperti oratores.

tinebant, quòd ſi dicti Cardinales ad alium locum prædicto Errorio & eis cõmunem, idoneum & ſecurum conuenire uellent, quòd illuc etiam dictus Errorius conuenire deberet, & ſiue dictus Petrus illuc ueniret uel non in termino ſibi per generale concilium ſtatuendo, nihilominus idem Errorius illuc ſuo Papatui cedere uellet, & quia dictus electus multis euidentibus rationibus ſuadentibus ſuper hoc negatiuam ab eiſdem Cardinalibus reportauit. Ipſe uices procuratoris aſſumens, eiuſdem Ruperti regis nomine appellauit, innuens in ipſa appellatione quòd hoc caſu conuocatio Concilij generalis ſpectaret ad Romanorum regem, ſeu ipſi ſuam poteſtatem præſtantem duntaxat celebrari deberet, & quia huiuſmodi Cõcilium ſpreto dicto rege nec eo illud fieri mandante congregaret in Piſis, propterea contra ipſum Errorium per huiuſmodi Concilium non poſſet aliquid diffiniri de iure, & qua quidem appellatione ualuis cuiuſdã eccleſiæ affixa per eundem electũ in Piſis, poſtea ipſe hoſpite inſalutato ac clanculo nec ualedicto ipſis Cardinalibus inde receſſit, cum tamen illum actum ſi utiq; uoluiſſet etiam publice ac ſolenniter & abſq; omni periculo ibi facere potuiſſet. Ecce pulchrũ actum regis Ruperti & ſuorum nunciorum prædictorum, propter quem fuerunt ipſi & ſui oratores ab omnibus Piſis exiſtentibus notabilioribus uiris deriſi, & quaſi fatui & iuris ignari communiter reputati, in hoc potiſſime, quòd ipſam unionem quam merito promoueri debebant ut præfertur, tam uarie ne fieret perturbant. Quòd autem huiuſmodi actus requiſitionis de alio loco & appellationis callide & malicioſe proceſſit clarum eſt, quia tũc temporis quando dictus electus ad Piſas uenerat, erat æſtas & tẽpus calidum, prout in Italia tunc temporis eſſe conſueuit, & erat etiam maxima multitudo Forenſium tunc in Piſis, qui illic uenerant potiſſime per mare de remotis partibus apportarunt illuc ſecum in nauibus neceſſaria pro ſe & eorum familiaribus, interim quòd in eodem Concilio ſiue Piſis morarentur, nec habebant equos ſeu alias uecturas eis cõdecentibus ad alium locum ut à Piſis declinarent, imò hoc eis fuiſſet penitus impoſſibile, attentis etiã quòd multi ex dictis Cardinalibus erant ſenio & diuerſis infirmitatibus confracti & impediti, qui nõ poterant niſi per modicum iter apportari, nec per ſe equitare ualebant. Præterea ſi dictus Petrus de Luna erat uocandus de nouo, quòd ad dictum Concilium ueniret, qui tunc in eodem regno Aragoniæ ſiue Catholonia etiam multũ diſtante ab Italia morabatur, neceſſarium extitiſſet quòd ſibi adhoc competẽs terminus ſtatueretur, & ſi hoc factum fuiſſet, illi qui ad dictum Conciliũ iam conuenerant interim catervatim receſſiſſent, forſan nũq; ad ipſa redijſſent, quia tot ſumptibus ſicut

Electus Verdenſis legatus Ruperti à Concilio nomine regis appellat.

bus ſicut iuxta eorum ſtatum requirebatur præſtolando tamdiu dubium aduentum dicti Petri ueriſimiliter facere non potuiſſent. Et ſic prædicti Cardinales ſimul congregati tandem etiam ſub dubio euentu quaſi ſoli remanſiſſent, & finaliter nulla efficax concluſio ſuper eodem unionis negocio facta fuiſſet. Vnde etiam maxima confuſio & diuiſio inter congregatos Cardinales ſubſequi poterat. Et quia forſan locum illum de nouo deputādi dictus Petrus, qui ſemper per mare ambulat in galeis tranſeundo de loco ad locum tanꝗ ſibi minus aptum ſiue non tutum quomodolibet refutaſſet, iterum Conciliū ſeu congregatio huiuſmodi ſine fine permanſiſſet.

Author huius hiſtoriæ deteſtatur nequitias utriuſꝗ Pontificis, inquirēs cauſam tam diutinæ atꝗ malicioſæ tergiuerſationis in deponendo Papatu. Caput XL.

ET mirandū eſt quare iſti contendentes de Papatu, ſcilicet Errorius & Petrus certabant tamdiu de conueniendo in uno loco, ubi uterꝗ ipſorum ſuo Papatui cedere uellet, niſi forſan uoluiſſet unus eorum alterum ſubornaſſe, ita quòd ille duntaxat ceſſiſſet, ſicꝗ per fas & nephas alter cum Cardinalibus ordinaſſet, quòd ſolus in Papatu remanſiſſet. Et ſi taliter contigiſſet, tunc utiꝗ per hoc ſedatum ſchiſma non fuiſſet, uel quòd uolebant forſan pugnare in ſimul, ſuosꝗ qui cū eis eſſent in periculo mortis ponere, ut ſic alter eorum uincens per uiolentiam Papa unicus remaneret. Nec uideo quin maxima pericula ſubſecuta fuiſſent, ſed prædicti contendentes de Papatu in ſimul conueniſſent, cū quilibet ipſorum ſic in aſtutia quaſi diabolo ſimilis & uſꝗ ad mortem contendat uelle in Papatu remanere, nam eorum actus, quos hactenus fecerunt omni malicia mixti euidentiſſimi hoc oſtendūt. Nec expediebat eos propterea inſimul conuenire, prout clarum eſt, potuit enim quilibet eorum cedere in loco particulari per ſeipſum ubi uoluiſſet, uel per ꝓcuratores ſuos in aliquo loco communi, de quo ſimul concordaſſent, abſꝗ quocunꝗ periculo perſonarum, uel ipſis aut ſuis propterea imminenti, ſed nolebant intelligere ut bene agerent. Sicꝗ per truſas & nugas ac colores uarios & elenchos ſophiſticos tam diu Chriſtianum populum deceperunt, neglectis turpiter iuramentis, uotis ac ſcriptis eorundem de procurāda per ipſos unione ſæpedicta. Stultizat igitur aſſerens & credens ꝙ Errorius ſeu Petrus non potuerit Conciliū niſi duntaxat in ſua obedientia conuocare, & quòd illud taliter conuocatum non fuerit nec eſſe potuerit generale, liquet ex præmiſſis, quòd

nullus rex aut alius potuerit aut poſſit licite, & abſq; ſchiſmatis & hæreſis nota eoſdem Errorium & Petrum in eorum pertinacia cōfouere Si enim omnes dicimur ſeu dici debeamus ſub uno Chriſti uicario, ſub uno patre unius eccleſiæ filij, ſub uno magiſtro concordes diſcipuli, ſub unico capite conformia membra ſumus, neſcio quomodo ſic diuiſus eſt Chriſtus ex diuerſis affectiōibus, ut alter dicat ego ſum Gregorij, alter ego ſum Benedicti &c. cum tamen iuxta ſententiā apoſtoli in eodem corpore ſciſſura eſſe non debeat, quod idem prohibet dicēs non ſint in uobis ſchiſmata, quæ reprehendit ubi ſcribit Corinthis in eccleſia dei: Audio ſciſſuras eſſe, quæ ut in diuinis eloquijs patet deſtructionem ſæpius inducunt, in utroq; teſtamēto de his teſtimonia ſunt clara. Nec ſunt excuſabiles fautorie & fautores hæreſis huius ex illo uerbo apoſtoli, quo dicit, Oportet hæreſes eſſe, ut q probati ſunt manifeſti fiant, tanq; impoſita ſit illis, qui hoc ſchiſma fouent neceſſitas ad fouendam hæreſim, per hoc quod dicit oportet neceſſitauerit. ſed per ſcripturas euagandi nunq; uel raro occurrit hoc uerbum pro neceſſitate mala perpetranda fore dictum, patet exemplis, quia oportuit ſcripturas impleri non cauſatiue ſed conſecutiue. oportebat enim euangelizare regnum dei, oportebat nos naſci denuo, oportuit miſereri conſeruis, oportet obedire deo magis quàm hominibus, ut tangitur ſupra in Epiſtola dicti Cardinalis Leodienſis, oportet ad deum accedentem credere, oportet obſeruare de lege dei quæ audiuimus, oportet de conuerſione Chriſtianorum gaudere, oportet ſemper orare, oportebat pati Chriſtum, oportet abſolui ab uinculo ſathanæ, oportet nos in his quæ dei ſunt eſſe, oportet promiſſa finaliter impleri, oportet nos omnes ante tribunal Chriſti ſtare, & tunc oportet incorruptibile induere incorruptionem, & infinita alia ſimiliter dicta per ora prophetarum & ſanctorum patrum.

Diui Pauli teſtimonio docet ſchiſmata tollenda, omniſq; diſcordiæ materiam prorſus amputandam.

Pauli dictū Oportet ut hæreſes fiant, quomodo intelligendum.

Indicia aduentus Antichriſti. Caput XLI.

HOc ſcripſi uagando extra materiam hiſtoriæ, quod nephande quidam dicebant, non permiſſione ſed diſpoſitione diuina hoc lamentabile ſchiſma in dies & dies prolongari. Sed nunquid iſta ſunt præambula aduentus Antichriſti, uticq; iuxta hiſtoriographos, prædicato enim & diſſeminato per orbem euangelio iuxta ſententiam ſaluatoris ueniet conſumatio, quā præcedit diſceſſio & diuiſio fidei. Dicit enim apoſtolus ij. Theſſal. ij. Niſi ueniet diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, ubi dicit gloſa niſi prius gentes, quæ Romano ſub-

erant

erant imperio, diſcedant ab imperio, & homines ab obedientia Ro-
manæ eccleſiæ, à fide, nõ ueniet Antichriſtus, nec inſtat dies domini.
Roma iamdiu amiſit imperiũ, & tñ tres concurrentes hodie habet re
ges, ſcilicet Ladislaũ, Venceslaũ & Rupertum prædictos ſolo nomi
ne reges. Quòd aũt ſe uocant Summos Pontifices notũ eſt, & quomo
do ipſa turrita & capitibus inſimul cõcurrentibus perficit Roma, hi-
ſtoria inferius declarabit. Sed ſuper oẽs illos dictus Paulus de Vrſi-
nis prædominat̃ in urbe, quẽ pleriq; Romani ſanctũ dicunt, qui Ro
mã & eius ciues quo uult uertit, quos magnificare uult magnificat uel
exaltat, quos ſaluare uult ſaluat, quos perdere perdit, om̃ia in ipſa ur
be pro eius beneplacito diſponendo. Vnde uidet̃ uerificari illud de
urbe, Per uim ſtulta parens quaſi uipera deperis oẽs. Vrbs nunc de-
ſtruitur cũ prædictus ſibi dominat̃. Tu portentorum locus es confor
mis eorum. Cũ Nilo portenta paris, nutris crocodilos. Iam cum por-
tentis reor exterminia ſentis. Si quid in his poſſem, facerẽ ſterileſcere
matrem &c. Nõ recolo me uidiſſe aſtutiorem ipſo Paulo in arte ſua,
hic enim de paupere armigero in factis armorũ gradatim aſcendit, &
multas uictorias contra eius aduerſarios conſecutus eſt, nec permiſit
aut permittit aliquẽ capitaneũ adeo creſcere in partibus illis, qui uio-
lenter ei reſiſtere poſſit. Sed oportet illic uolentem aliorũ ſtipendijs
militare, q̃ aut ſibi ſeruiant, uel inde recedant. Sed ab eccleſia Rom.
nedũ innumeras pecunias, ſed etiã ciuitates & caſtra, necnon alia tem
poralia dominia plurima reportauit

Primũ hoc iamdiu impletũ, alterũ ægre tã tuemur, ut ſubijcit.

Tres qui ſe ſimul gerũt pro Rom. regibus.

Verſiculi in Romanos.

Aſtutia Pauli Vrſ.

De imperio atq; potentia Tartarorum. Item de geſtis & habitu
Tamberlani, digreſſio. Cap. XLII.

IMperium Tartarorum à cc. annis uel circa ferè à Tartaris
principibus & eis cooperantibus inchoatum, iam totã te-
net Aſiam. Europam etiam Tartari in aliquibus partibus
crudeliter inuaſerunt, necnõ Africam & Libiam. Quis eñ
unq̃ poſt Alexandrum Magnũ adeo truculentus & potẽs tyrannus
& inuaſor eorum regnorũ & prouinciarũ fuit, ſicut ipſe Tamerlanus:
de quo ſuperius feci mentionem, qui nouiſſime perijt in æternũ. Le-
gi enim in aliquibus epiſtolis, q̃ contra diuerſos reges & principes
magnos in partibus Aſiæ aquilonaribus & orientalibus bellando fe-
rè oẽs ſibi ſubiecit, & illorũ regnorũm & prouinciarum ſpolia recepit
inauditas diuitias cumulando. Excepta India, quã licet uiolenter in-
gredi uellet, morte tamen naturali præuentus ſuum propoſitum non
impleuit. Indos ut credo domino protegente, quia multi eorum cum

ipſorum rege ſunt boni Chriſtiani in fide catholica radicati. Ipſe tamen Tamerlanus per ſiniſtrũ latus paraliſi, quam uocant apoplexiã, fuit corporis uiribus deſtitutus. Vidi enim eius imaginẽ apud quendam epiſcopũ catholicũ, qui ſecum plusq̃ XII. annos moram traxit, in qua uidebatur dextera manu ſe baculo ſuſtentare, ac ſiniſtro pede magis eleuato dextero incedere, necnon altũ pileum geſtare in capite ſine capitio, cinctumq́; ſuper longas ueſtes quibus indutus erat, zona cum pera in ea pendente, & in ſuperficie pilei apparuit figura carbunculi ſeu alterius lapidis precioſi illius coloris ad quantitatem magnæ nucis. Fingebat etiã imago ipſa, q̃ barbam protenſam haberet pendentibus in illa pluribus alijs precioſis lapidibus, prout magnatum Græcorum & partium Orientalium conſuetudo uetus obſeruat Et licet hic eſſet permultos annos morbo correptus, tamen propterea non ceſſauit contra potentes reges & tyrannos pugnare, ſed in ſuis exercitibus in curru ſe fecit duci ubiq; locorum cum ſuis ſatrapis ac bellatoribus, remanendo in omnibus uictorijs & bellis, ipſosq́; inſtruendo qualiter illis, contra quos pugnabant, fortiſſime & ingenio præualerent. Nec unquam ab aliquo loco receſſit, quantumcunq; munito, quin ſi ei cordi erat, eum finaliter ſuæ ſubijceret poteſtati.

Habitus Tamerlani ac eius ueſtitus.

Fortuna Tamerlani.

De imperij & fidei catholicæ ruina. lege & plorabis. Cap. XLIII.

Comparat Tamberlanũ ad noſtros milites.

SEd q̃ magnifici triumphatores ſunt noſtri reges & principes Chriſtiani, qui tamen uolunt inuictiſſimi appellari, eorum geſta teſtantur, & quàm magnificum ſit Romanum imperium in Alemania ſaltem aperte uidetur. Reperitur enim illic aliquis archiepiſcopus uel epiſcopus, qui forte in duplo plus habet in redditibus, quàm percipit rex Roman. in omnibus terris ſibi ſubiectis, & aliquis princeps ſecularis, qui detinet plures terras, quàm poſſidet Imperator. Quod nõ laudo, tendit enim in perniciem fidei prædictæ, quia deficientibus rerum facultatibus & potẽtia ſeculari & imperio, reſtat q̃ Imperator uel Rex Rom. ſit pauper & impotens, & Chriſtianum populum defenſare nõ poſſit. Eccleſiæ autem Roman. propter eius diuiſionem diutinam ſatis patet impotẽtia, & dudum cœpit eius diſceſſio, & adhuc durat per Aſiam & Africam, ubi omnes eccleſiæ catholicorum deſolatæ ſunt & ad nihilũ deuenerunt, ſed remanebant & remanent eccleſiæ catholicæ tantummodo per Europam, excepta Græcia & Ruſſia, quarum ſchiſma iamdiu fuit inchoatum. Et qualis ſit diſceſſio in ipſa eccleſia Romana etiam prælatorum eccleſiaſticorũ religio ſiue ſanctimonia in partibus Occidentis

De ruina imperij atq; fidei Chriſtianæ

dentis nõ oportet deſcribi, patet enim utrunq; iſtorum in ſacerdotio & in regno, & ſi ipſa ſunt prænoſtica aduentus ipſius Antichriſti, diſcutiant ſi qui ſunt qui nouerunt ſenſum dei. Nunc unionẽ omnes deſiderant, & forte non omnes ut liquet ex præmiſſis qui ſuis affectioni bus paſſionati quærunt illa quæ ſua ſunt, ut ſuperius expreſſi, & poſt hanc digreſſionem redeo ad propoſitum.

Tenor ſententiæ à Concilio Piſano contra utrunq; Pontificem lata, qua eoſdem Pontificatu priuat atq; hæreticos pronunciat. Caput XLIIII.

ITaq; Cardinales & prælati prædicti tũc Piſis cõgregati, ad quos hoc ſpectabat, proceſſum iudiciarium per plures menſes cõtra Errorium & Petrum abſentes, nec per ſe uel procuratores contumaciam eorum purgantes, formarunt ſolenniter & in publico, & poſtq; multæ ſeſſiones ſiue cõgregationes eorum & in illis etiam quàm plures deliberationes, cõtra eoſdem abſentes de Papatu contendentes factæ fuerũt, in huiuſmodi ſententiã contra eoſdem procedentes, promulgandam uniformiter concordarunt, quæ in publico demum lata fuit in hæc uerba. Chriſti nomine inuocato, ſancta & uniuerſalis ſynodus uniuerſalem eccleſiam repreſentãs, & ad quam deciſio & cognitio huius cauſæ noſcitur pertinere, ſpiritus ſancti gratia in hac maiori eccleſia Piſana congregata, ibiq; pro tribunali ſedentes, uiſis & diligenter inſpectis omnibus productis & ſingulis probatis & agitatis in præſenti cauſa unionis eccleſiæ fidei & ſchiſmatis contra Petrum de Luna Benedictum XIII. & Angelum Corarium Gregorium XII. olim appellatos, qui in præſenti cauſa plenius continetur, & quibuſcunq; alijs ipſam ſanctam ſynodũ ad infraſcriptam diuiſionem mouentibus & inducentibus, habita prius inter ſe ipſos & demum cum copioſa multitudine magiſtrorum in ſacra Theologia atq; utriuſq; iuris doctores plurimos, & pluries diligenti collatione & tandem deliberatione matura omneſq; pariter hanc in ſententiam reperientes unanimiter concordare omni modo uia & iure, quibus magis & melius poteſt in prædictorum contendẽtium, imò uerius colludentium, & utriuſq; ipſorum contumaciam in his ſcriptis pronunciat, decernit, diffinit & declarat, omnia & ſingula crimina & exceſſus, & cuncta neceſſaria ad infraſcriptam deciſionem præſentis cauſæ deducta per promotores & inſtigatores & ſolicitatores ſeu procuratores deputatos ad proſequendam præſentem cauſam pro huius deteſtandi & inueterati ſchiſmatis extirpatione ac unione

atq; reintegratione ſanctæ matris eccleſiæ contra & aduerſus prælibatum Petrum de Luna Benedictum XIII. & Angelum Corariũ Greg. XII. de Papatu damnabiliter cõtendentes ab aliquibus nuncupatos, in petitione coram ipſa ſacra & uniuerſali ſynodo præſentata & exhibita fuiſſe & eſſe uera atq; notoria, ipſosq; Angelum Corarium & Petrum de Luna de Papatu ut præfertur contendentes, & eorum utrūq; fuiſſe & eſſe notorios ſchiſmaticos, & antiquati ſchiſmatis nutritores, defenſores, fautores, approbatores & manutentores pertinaces, necnon hæreticos à fide deuios, notorijsq; criminibus & enormibus periurij & uiolatione irretitos uniuerſalem eccleſiam ſanctã dei notorie ſcandalizantes, cum incorrigibilitate contumacia & pertinacia notorijs euidentibus, & manifeſtis, & ex his & alijs ſe reddidiſſe omni honore & dignitate etiam Papali indignos, ipſosq; & utrunq; ipſorum præter præmiſſas iniquitates crimina & exceſſus, ne regent uel imperent ſeu præſint à deo & ſacris canonibus fore ipſo facto abiectos & priuatos, & etiam ab eccleſia præciſos. Et nihilominus ipſum Petrũ de Luna & Angelum & eorum utrunq; per hanc diffinitiuam ſententiam in his ſcriptis abijcit & præcidit, inhibendo eiſdem ne eorũ aliquis pro ſummo Pontifice ſe gerere præſumat, eccleſiamq; uocare Romanam ad cautelam decernendo. Inſuper omnes & quoſcunq; Chriſticolas, etiam ſi imperiali, regali uel alia qualibet præfulgeat dignitate declarat ab huiuſmodi eorum & cuiuslibet eorum obedientia, non obſtantes quocunq; fidelitatis iuramento aut aliquo uinculo, quo illis & eorum alteri tenerentur aſtricti, fore perpetuo abſolutos, inhibendo eiſdem Chriſti fidelibus, ne prædictis de Papatu contendentibus ſeu eorum alteri quomodolibet obediant, pareant uel intendãt, uel conſilium, auxilium uel fauorem ipſis præſtent, aut eos recipiant uel receptent ſub pœnis excõmunicationis & alijs à ſanctis patribus & ſacris canonibus inflictis, ꝓmulgatis & ordinatis. Quodq; ſi parere contempſerint huic ordinationi & ſententijs ipſos & eorum fautores & defenſores adhærentes atq; ſequaces, etiam per ſeculares poteſtates fore compeſcendos & compeſci debere iuxta præcepta diuina & ſacrorum canonum diſpoſitiones, eadem ſancta ſynodus pronunciat, diffinit, & inſuper omnes & ſingulos proceſſus & ſententias excõmunicationis inhabilitationis, uel alterius cenſuræ & pœnæ priuationis, quoq; ordinum & dignitatum etiã Cardinalatus beneficiorũ & officiorum ac graduum quorũcunq; & qualiacunq; ſint & quomodocunq; nuncupentur, contra dominos Cardinales per dictum Petrum de Luna & Angelum Corarium latos & fulminatos fuiſſe & eſſe nullos, caſſas & irritas, ac nullius roboris, efficaciæ uel momenti, & quatenus,

Gregorius & Benedictus heretici declarantur.

nus de facto proceſſerunt, eatenus caſſandas & irritandas, ſicq́ꝫ & etiã ad cautelã quatenus expediat omni modo & iure quibus melius poteſt annullat, caſſat & irritat. Et inſuper promotiones, imò potius ꝓphanationes quorumcunq́ꝫ ad Cardinales per dictos contendentes de Papatu & eorum utrumq́ꝫ attentatas per dictum Angelum à die tertia Maij & Petri antedicto à die xv. Iunij anni proximi præteriti milleſimi quadringenteſimi octaui fuiſſe & eſſe nullas, caſſas, irritas & inanes, & quatenus de facto proceſſerunt annullandas, caſſandas & irritandas, & ſic etiam ad cautelam quatenus expediat omni iure & modo, quibus melius poteſt præfata ſancta ſynodus per hanc definitiuam ſententiam caſſat, irritat & annullat.

De his quæ ab utriſq́ꝫ colluſoribus contra Cardinales atq́ꝫ Concilium attentata fuerint. Cap. XLV.

POſtq́ꝫ autem prædicta ſententia lata fuit, uenerunt ad Piſas quidam exploratores ſeu nuncij dicti Petri de Luna ſed de ipſa ſententia conturbati infra dies paucos receſſerunt. Idem etiam Petrus per aliquos dies anteq́ꝫ ſententia prædicta lata foret, quandam literam bullatam ſub eius bulla publicari fecit in congregatione aliquorum ex huiuſmodi Cardinalium & Curialium in quadam eccleſia Piſana, in qua quidem litera citabat omnes illos Cardinales qui ab eo receſſerant, qui erant Piſis, quòd ad eum infra certum terminum tunc expreſſum redirent, alioquin cõtra eos ꝓcedere uellet, de qua tamẽ citatione ipſi Cardinales nõ curabãt. Sed poſtq́ꝫ idem Petrus audiuit quòd ipſa ſententia lata erat, ex hoc ira commotus ad dilatandum dictum ſchiſma XII. Cardinales in Hiſpania & Aragonia regnis in ſua obedientia dicitur de nouo creaſſe. Dictus uero Errorius etiam cognoſcens, quòd dicta ſententia contra ipſum lata erat, & timens quòd contra eum executioni ſeu cum inuocatione auxilij brachij ſecularis demandaretur, quodq́ꝫ Veneti ei forſan non aſſiſterent, eo quòd per ipſum dominus Antonius patriarcha Aquilegienſis priuatus fuerat, contra eum ſuoſq́ꝫ Cardinales potenter & ſolicite laborabat, ipſis ponendo inſidias in omni loco circum circa dictam terram ciuitatis Auſtriæ, haberetq́ꝫ exploratores ſemper in eadem terra, qui ſecrete etiam quæ ipſe Errorius fecerat aut facere proponebat ſolertius exquirere nitebantur. & utrobiq́ꝫ ſtabat minus tute deficerentq́ꝫ ſibi, ſuiſq́ꝫ Cardinalibus paſſim ſumptus & uictualia, cogitauit inde recedere qualitercunq́ꝫ. Vnde ſcripſit eidem Ladiſlao rege, rogando ipſum quòd ſubuenire ſubito ſibi uellet ut inde recedere poſſet.

Bulla quãcunq; perſonam illi induxeris ſemper manet bulla.

Angelus ſe re decoxit.

poſſet. Præfatus uero rex infra pauca tempora duas galeas ad certum portum non longe diſtans à terra ciuitatis Auſtriæ ſibi deſtinauit, & quoſdam armigeros forſan numero L. q Errorium uſq; ad illum locū ad quem dictæ galeæ applicuerunt per terram aſſociarent illuc miſit, qui cum ad eandem terram perueniſſent, præfatus Errorius quanto ſecretius potuit ſe præparauit ad iter, ut cū prædictis inde armigeris recedere poſſet. Et quia tunc eius camera forſan auro & argento erat exhauſta, ipſe Antonius eius camerarius ad iocalia precioſa dictæ cameræ ea tempeſtate recurrens pro expenſis itineris aliqua illorum ꝑ VI. millia florenorum impignorauit, & aliqua etiam in ſarcinulis ſuis ligari fecit, quæ credidit inde ſecum poſſe cum beſtijs deportari. Sentiētes autem Veneti, quòd Errorius quæreret inde recedere, pro certis ſuis negocijs iterum ſuos nuncios deſtinarunt, quibus dedit terminum in quo ſuper propoſitis ſibi per ipſos uellet reſpōdere. Nec dictum patriarcham hoc latebat, qui ualde curioſe omnia rimari fecit, quæ fiebant ibidē, & omnes paſſus per quos prædictus Errorius abire poterat, prope dictam ciuitatem in diuerſis locis per gentes armorum diligenter fecerat cuſtodiri, ita quòd nemo poterat inde recedere, niſi incideret in manus inſidiantium gentium prædictarū. Et ecce mirabilem aſtutiam Errorij, uidens enim ſe undiq; taliter circundatū hoſtibus, & ſi diutius in eadem terra remaneret, tunc dictæ galeæ pro eo adductæ, necnon ipſi armigeri, qui eius cauſa uenerant recederent ipſo ibi relicto, unde quandam congregationem fieri fecit in illa, deſignans intentionem ſuam quo ad ſchiſma huiuſmodi tollendum, ꝑut eius uerba ſonabāt, in quadā cedula cuius tenor ſequit̄, & eſt talis.

Quimue-re iocalia.

Rurſus aliud ſubterfugium differendi imperij quærit Angelus. Caput XLVI.

SAnctiſſimus dominus noſter dominus Gregorius XII. ardentiſſimus ad ſanctiſſimam unionem illam quærit totis affectibus introducere, uerum quia per formam in conclaui conceptam propter prophanationes apoſtatæ Petri de Candia uidetur, quòd unio fieri non poſſit per renunciationem ipſius & Petri de Luna, niſi modificatio aliqua fiat, Hinc eſt, quòd pro celeri & perfecta conſecutione unionis præfatæ ꝓponit & acceptat hos modos, uidelicet quòd idem ſanctiſſimus dominus noſter ex abundanti deſiderio cordis ſui ad ipſam ſanctiſſimam unionem perficiendam paratus eſt realiter & cum effectu renunciare Papatui, ſi & quando ſimul & perſonaliter ac præſentialiter in eodē loco Petrus de Luna &

Hic Petrus teſtimonio Platinæ uir fuit omniū integerrimus.

na & Petrus de Candia ſuis prætenſis iuribus in Papatu renunciabũt ſecundum formam ipſam conceptam in conclaui adhibita iſta modificatione electionis futuri Pontificis, quæ habebat fieri à cuiuslibet obedientiæ duabus partibus gerentiũ ſe pro Cardinalibus, ita quòd in hoc caſu ad uerum illius Papatum requirantur cuiuslibet obedientiæ uoces duarum partium, & qui ſic fuerit electus ſuo conſenſu pro ueriſſimo Romanorum Pontifice habeatur. Item ne ex difficultate loci poſſit differri pax eccleſiæ, & unio impediri, extunc concedit plenã & liberam poteſtatẽ illuſtribus regibus Ruperto Romanorum, Ladislao Hieruſalem & Siciliæ, & Sigiſmundo Hungariæ regibus concordandi de loco cum aduerſario & ipſum eligendi, qua concordià & electione facta paratus eſt infra terminum per eóſdem reges aſſignãdum ad dictum locum accedere, & ibi debitum ſuum facere, prout in præcedenti capitulo eſt expreſſum. Item ſi ſuper præmiſſis quod abſit aduerſarij concordare non uellent, ne differatur factum ſacratiſſimæ unionis, exnunc concedit plenam & liberam facultatem & poteſtatem præfatis aduerſarijs ſuper Concilio generali ab omnibus partibus conuocando, & locum etiam ad illud celebrãdum eligendi, qua concordi electione facta paratus eſt ad dictum locum accedere & ſtare deliberationi, in qua cuiuſcunq; obedientiæ maior pars cõuenerit, id eſt quòd deliberatio illa ſit facta à maiori parte obedientiæ Petri de Luna & maiori parte Petri de Candia ſimul, ita quòd deliberatio ipſa ſit trium obedientiarum illud idem acceptantibus & facientibus Petrus de Luna & Petrus de Candia à gerentibus ſe pro Papis. Et ut prædicta poſſent citius & abilius ſuum conſequi effectum, dicit & declarat mentis ſuæ eſſe, quòd infra annum à die præſenti ſecuturũ præfati reges habeant poteſtatem & facultatem liberam & plenariam exequendi prædicta, & ſi eis tum uidebitur expedire, concedit eiſdem quòd poſſint dictum terminum annum uſq; ad unum alterum annũ tunc proximum ſecundum eorum beneplacitum prorogare, & nõ ultra ipſis regentibus ipſius domini noſtri Papæ permanentibus. Ad quæ omnia pertractanda placeret præfato ſanctiſſimo domino noſtro Papa, quòd dicti reges & quantum placeret eis ſibi aſſumerent magnificũ Carolum de Malateſtis, qui eſt ualde auidus ad ſacratiſſimam unionem. Lecta fuit dicta ſcriptura in ſacra ſynodo ciuitatis Auſtriæ cõgregata die Iouis v. Septẽ. M. CCCC. VIII. dñi nrĩ anno tertio.

Diſſertatio authoris ſuper figmento præſcripto. Item de cauſis ſimultatis atq; belli inter Sigiſmundum & Ladislaum Hungariæ reges. Caput XLVII.

ET nũc reges intelligite, erudimini omnes qui iudicatis terram, ac ſtulti aliquando ſapite, & uidete ſi à ſeculis unquã audita fuit talis illuſio & malicia, ſicuti euidenter apparet in cedula ipſa. Nunquid notorium eſt & ueriſſimum, ut etiam ſuperius recitat hiſtoria, quòd inter Sigiſmundum Hungariæ & Ladislaum reges præfatos iam per xx. annos & ultra fuit capitalis inimicitia & mutuus rancor miniſtratus in ipſis, habens ortũ ex hoc quòd Carolus rex genitor Ladislai uiſus eſt ipſum regem Sigiſmundum tunc adoleſcentulum & eius uxorem dominam Mariam reginã Hungariæ filiam & hæredem dicti Ludouici regis Hungariæ ſpoliare, ſeq; conſtituere regem Hungariæ? Sicq; præfatus Ladislaus patrizando cum adiutorio & fauore ſupradicti Bonifacij cum legato de latere per ipſum Bonifacium miſſo ad Hungariam cum eodem rege Ladislao tunc dicto rege Sigiſmundo agente in Boẽmia, Põtificatus dicti Bonifacij anno xiiii. etiam ſe fecit in regem Hungariæ coronari, unde cædes hominum, deſtructiones terrarum, & alia infinita mala, prout tangitur ſuperius, ſubſecuta fuerunt.

De ſimultate Ruperti Romanorum & Ladislai Siciliæ regum, ob depoſitionem Venceslai. Caput XLVIII.

QValis autem concordia & amicitia uiget inter ipſos Rupertũ Romanorum & Sigiſmundũ reges mundus agnouit. Nunquid præfatus rex Venceslaus frater eiuſdem regis Hungariæ depoſitus fuit à regno Romanorũ, & præfatus rex Rupertus ſurrogatus in illo, propterea ipſum Rupertum regem dictus rex Hungariæ perſequebatur & perſequitur odio capitali, & demum qualis concordia fuerit inter ipſos Rupertum & Ladislaum reges patet, cum Ladislaus ut hoſtis imperij terras illius quas poteſt deſtruit ſeu capit & ſibi ſubijcit uiolenter, & iamdiu eſt quod cõcepit in mente ſibi uelle ipſum imperium quomodolibet uſurpare, unde prouerbium iamdudum fuit in quadam eius ueſte quam tunc geſtabat conſutum, uidelicet aut Cæſar aut nihil. Et cũ tot inimicitiæ & rancores manifeſte uigeant ex præſcriptis cauſis inter Rupertum Sigiſmundum & Ladislaum, qualiter illi ad faciendam unionem in eccleſia ſimul conuenire poſſent ulla ratione aut humana ſagacitate uidetur eſſe impoſſibile, quia diſparibus bobus raro trahitur bene currus. Et has diuerſitates inter ipſos tres reges omnibus notas etiam Errorius ueriſimiliter non poterat ignorare. Cum igitur omnes actus dictorum Errorij & Petri de Luna hactenus fuerint & ſint truſatici,

Ladislaus hoſtis imperij eiu. dem terras occupat.

Aut Cæſar aut nihil.

deceptorij

deceptorij & deluſorij, quo ad hoc quòd ſuum in diuiſione Papatum ut ſic loquar ipſi aut alter ipſorum ſpōte dimittere uoluerit aut uelit. Vtiꝗ mirandum eſt, quod talia non aduertunt principes terrarum atꝗ regentes & eccleſiaſtici prælati atꝗ populi qui eis adhærent & fo uent ipſos in malicia eorundem.

Qua aſtutia Angelus poſitas ſibi inſidias cauerit atꝗ eluſerit, & Paulus eius cubicularius in eaſdem inciderit, captiuusꝗ turpiter per urbem Vtinum deducit. Caput XLIX.

Prædictus itaꝗ Errorius pendente termino ad reſpondē dum dictis nuncijs Venetorum aſſignato, quadam die tē peſtiue ſimulato habitu duos ſecum recepit ſocios pede ſtres, & ipſe ut mercator aut alter laicus ſolus equitabat, nec uenit in uultu proprio ſed diſſimulato, quem uidentes illi qui fuerunt poſiti ad inſidiandum ut præfertur, & credentes eum eſſe laicū noluerūt diſcooperire ſe propter ipſum unum equitantem, ſicꝗ falſa opinione illuſi Errorium cum duobus eum aſſociantibus peditibus libere abire permiſerunt. Sed paulo poſt uenerūt de ipſa ciuitate Paulus cubicularius & confeſſor dicti Errorij indutus rubeis ueſtibus ad inſtar magni prælati, quem aſſociarunt multi de dictis armigeris, quos rex Ladiſlaus ut præmittitur illuc miſit, etiam habuit apud ſe multas mulas ſeu beſtias rebus eiuſdem Errorij oneratas, quem uidē tes ipſi inſidiatores, & credentes ipſum Paulum eſſe Errorium, ſtatim contra ipſum & eius ſocios curſu præcipiti uenientes, omnes illos Errorianos, necnon beſtias onera portantes huiuſmodi ceperunt, & ipſum Paulum nudatum capite duxerunt ſatis impetuoſe per duo miliaria & ultra, quibus occurrit quidam familiaris dicti patriarchæ, ꝗ dictum Errorium bene nouit, & qui diligenter ipſum Paulum reſpiciens, multum enim aſſimilatur ipſi Errorio in uultu, ſtatim eum cognouit dicens ipſis ductoribus, quòd erraſſent, quia ipſe non eſſet Errorius. Vnde dicti armigeri ualde dolentes inquirebant ab eodem Paulo quis eſſet, quo cognito ex ipſius reſponſione, inueſtigarunt ab ipſo, ſi hodie ipſe Errorius etiam eandem terram uellet exire an non, audientes quòd reuera dictus Errorius erat ille, qui prius ſolus equitabat, duobus aſſociatus comitibus ut præfertur, irati uehementer, & dimiſſis in cuſtodia dictis captiuis apud quoſdam ſocios ſuos ſeu cō plices eorum, poſt ipſum Errorium uſꝗ ad quandam terram comitis Goriciæ, ad quem ipſe Errorius fugiendo peruenit, ut ipſum apprehenderent celeriter equitarunt, & quia ita cito dictam terram intrare

nequibant, comminabantur ſalutatoribus quòd eum ignis incendio deuaſtarent, niſi eis ſtatim ipſum Errorium præſentarent, illum eis per equum quem equitabat, & ueſtes quibus indutus erat deſignãdo, quibus ſtatim reſponſum fuit, quòd ipſe Errorius mox ubi illic uenerat nauim conduxiſſet, in qua per flumen quod intrat mare prope dictam terram ubi prædictæ galeæ tunc erant nauigaſſet, quo comperto dicti armigeri magis dolentes & confuſi ad ipſos eorum ſocios redierũt, cum quibus adhuc repertos dictos captiuos ad Vtinum perduxerũt. Sed in maiorem uerecundiam Errorij prædictum Paulum habitu ſuperiori quem geſtabat ſpoliantes, in diploide ſeu tunica, ꝓpe camiſiam uilis precij dimiſerunt. Sed cum unus eorum renouaret baſtmatas ſeu ictus ſuper eum, ſenſit quandam repercuſſionem in eadẽ tunica, unde ſpoliauit etiã ipſum huiuſmodi tunica, in qua ccccc. florenorum auri conſutos repperit, quos ipſe ſocijq; ſui inter ſe læti diuiſerunt, quo facto quidam de dictis ſpoliatoribus eundem ſuperiorem habitum dicti Pauli induit cum illo per Vtinum equitando ludibrioſe populo Papalem bẽnedictionem dedit. Ipſeq; Paulus ſuis ueſtibus & pecunijs taliter denudatus demum in carcerem miſſus fuit, ipſiq; uectores ad incautam ſeu ſub haſta prædam quam lucrati fuerunt ex ſpolijs dicti Errorij ſubito uendiderunt.

Paulus nepos miſere ac turpiter deducitur Vtinum.

Quomodo quidam Gregorianæ factionis abeuntes miſeros exitus inuenerunt. Caput L.

His q; audientes alij ſequaces dicti Errorij, qui capti non erãt ſeu in eadem terra ciuitatis Auſtriæ adhuc erant, ne ſimiliter caperentur, & ad locum peruenirent tormentorum, tũc in eadem terra diutius remanſerunt. Sed nuper uidelicet circa medium menſem Octobris Erroriani, qui in eadem terra ciuitatis Auſtriæ ut præmittitur remanſerunt, precio conduxerunt ccccc. uel circa equites de partibus Alemaniæ alpibus uicinis commorantes qui ſunt quaſi contigui patriæ Foroiulienſi, qui quidem conducti Erronianos ipſos ab eadem terra manu potenti abduxerunt, excepto quodam inueterato dierum malorum, qui creatus fuit in Senis per Errorium in Cardinalem cognomine Tarentinenſis, qui ex ſenio inde non ualens recedere remanſit ibidem. Quatuor autem fratres minores, inter quos erat quidam frater Petrus de Gaſconia, qui ſolebant præfato Errorio uaticinari, quòd adhuc ipſe ſolus Papatum tenere deberet, uolentes transfretare per mare poſt eum prope Cluſium in maris tempeſtate perierunt. Iſte Petrus multotiens me & plerisq; alijs præſentibus

præſentibus dogmatiſauit, ꝙ Papa regimẽ eccleſiæ Romanæ abſq; damnatione animæ ſuæ cedere non poſſet, quodq́; uota & iuramenta per Errorium præſtita de cedendo eius Papatui ipſum ad cedendum nullatenus obligarent, cõplacendo in hoc ipſi Errorio, cuius erat com menſalis. Et per illam falſam opinionem multos decepit ſimplices & iuris ignaros, & induxit ad credendũ ita eſſe. Quidam etiã fratrũ ordinis prædicatorum profeſſor, & tunc Archiepiſcopus Raguſinenſis & in ſacra pagina magiſter, ueniens ad ciuitatem Senenſem circa feſtum ſancti Michaelis ad ipſum Errorium anteq̃ iuit ad Lucam, prima uice ſatis pulchrũ & acceptũ Curialibus ſermonẽ corã eodẽ Errorio fecit in publico, exhortando eũ multis pulchris rationibus ad eandem faciendam unionem ſe quanto citius præparet, ſubiungens ꝙ omnino uniuerſali eccleſiæ ac ſaluti animarũ Chriſtifideliũ ſic fieri expediret. Quẽ quidẽ Archiepiſcopũ etiã infra paucos dies poſtea prædicantẽ publice corã populo audiui, ꝙ dictus Errorius ſuo Papatui abſq; mortali peccato & ſine damnatione animæ ſuæ nulla ratione cedere poſſet, nec ipſum ad hoc uota & iuramenta per eũ præſtita obligarent, fraudulenter à Gregorio inductus. Super quo tres fecit libellos, quos uidi iudicio multorũ magiſtrorũ in ſacra Theologia & doctorũ in iure Canonico, nedũ erroneos ſed hæreſi plenos. Sed dum iſte Raguſinæ eiſdẽ ſuis opinionibus fortiter inhæreret, in odiũ eorundẽ Cardinaliũ & Curialiũ deuenit. Sed infra dies paucos, dũ in eadẽ materia tenendo multos ſcribentes apud ſe continuo diligentius laboraret cecidit in lectum ægritudinis, & in octaua feſti Epiphaniæ dñi, qñ cantaẽ in eccleſia: Caput draconis cõtriuit dñs, diuino iudicio morte quaſi repentina deceſſit, & uix reperiebanẽ aliqui prece uel precio, qui eius cadauer uellent tumulare. Quod dum ad ſepeliendũ ſatis miſere portaretẽ, multi obuiantes illi dixerunt, Ecce q̃ ſubito tranſiuit ille frater ad Indos, qui ſolus unionẽ in eccleſia uoluit impedire. De cuius obitu dicti Cardinales & Curiales plurimũ lætabanẽ. Præfatus aũt Errorius & q̃dã ſui domeſtici de hoc ſatis doluerũt, aſſerentes mendaciter, ꝙ dictus Raguſinenſis ueneno fuiſſet extinctus. Demũ uero ipſe Errorius peruenit ad Apruciũ, unde ſupraſcriptus Innocentius VII, fuerat oriundus, & ſub protectione dicti Ladiſlai regis Siciliæ remanſit in Caieta, quæ eſt ciuitas maritima, ſed in monte collocata, bonis uictualibus & uino multũ fertilis, & amœna uiridariis fragrantibus, ſalubribus & odoriferis fructibus frequenter abundans, & diſtat à portu Romano LX. miliaria Italica nauigando ꝑ mare atq; ab ipſa Neapoli. Ipſe Errorius tunc modicã habuit Curiam & paucos Curiales, quia nõ ueniunt illic cateruatim de diuerſis regionibus

Vide fratricelli arrogãtiã atq; perverſitatẽ, & q̃ ꝑnicioſi ſint huiuſmodi palpones nemo ẽ q nõ uideat uanã extũs illorũ miſero admoniti reſipiſcãt etiã huius etatis gnatones.

Caput draconis cõtriuit dominus

nibus aurũ ad præſepe domini deferentes, ſed prælati ac clerus & populus dicti regni Siciliæ timore prædicti regis Ladislai magis ꝙ amore ac deuotione ſibi ut Papa obediunt, ꝓut aſſerũt illi qui ad hãc iſtam Curiã dicti Alexandri Papæ & ipſo uiuente de præfata Curia dicti Errorij declinarunt, & ualde multi etiã in alijs egregijs ciuitatibus Tuſciæ & Emiliæ atq; Liguriæ, & ſi non apte tamẽ ſecrete & qualitercũq; adhuc dicto Errorio adhærere dicunť, qbus p me taliter explanatis etiã ad deſcribendũ aliqua alia de ipſo Alexandro Papa me conuertã.

De Alexandri v. progreſſibus, uita, moribus ac facilitate in exaudiendis precibus. Caput LI.

Die Mercurij menſis Iunij Cardinales utriuſq; obedientiæ intrarunt conclaue ad eligendũ nouum ſummũ Pontificẽ bo. me. dominũ Petrũ tituli XII. apoſtolorũ presbyterũ Cardinalẽ per Innocentium creatũ, ordinis fratrũ minorum profeſſorẽ, in Papam cõcorditer elegerũt, hic fuit natione Græcus, natus in inſula Cãdiæ, quæ p Venetos occupať, & ut ipſemet tũc in agone ſeu in ultimis conſtitutus corã ſuis familiaribus faciẽdo pulchrum ſermonẽ dicebat, ꝙ nunꝗ̃ nouit eius patrẽ aut matrẽ aut aliquem fratrẽ, ſeu ei carnis propinquitate coniunctũ, ſed eũ in puericia mendicante uictũ, quidã frater ordinis minorũ Italicus in eadem inſula recollegit, atq; in Latino ſermone inſtruxit, & dũ erat aliqualiter maior & aptus, in domo fratrũ minorũ in ipſa inſula conſiſtẽte ipſum poſuit, & habitu regulari eorundẽ fratrum induit, & conſiderans ꝙ eſſet bonæ indolis eum ſecũ ad Italiam poſtea duxit, in qua in primitiuis artibus eruditus ad ſtudiũ Oxonieñ. in Anglia mittebatur, ubi etiã per plures annos ſtudendo & bene ꝓficiendo demũ acceſſit Pariſius, & tãdiu illic in philoſophia & ſacra Theologia ſtuduit, ꝙ magnus magiſter in ipſa Theologia factus fuit. Poſt hæc ueniens ad Lõbardiam & noticiã dicti Ioannis Galeatij ducis acquirens, & eius promotione atq; fauore primo Epiſcopus Vicentineñ. & poſtea Archiepiſcopus Mediolanenſis, ſucceſſiue Cardinalis, & demũ Papa creatus fuit, gradatim ad dignitates & honores huiuſmodi aſcendendo. Erat autẽ iſte Alexãder prius nominatus Petrus de Candia, homo benignus & liberalis, & libenter bene & laute uiuebat, bibendo ut frequenter uina fortia, & delectabať in illis. Itaq; cum agereť adhoc, ꝙ nouus ſummus Pontifex eligeretur Piſis poſt depoſitionẽ ipſorũ Errorij & Petri de Luna finaliter factã in eodẽ generali Concilio nuper celebrato, & domini Cardinales cõclaue more ſolito ſubintraſſent, dominus

dominus Ioannes Papa xxiii. tũc Balthaſar ſancti Euſtachij diaco- *Hunc alij*
nus Cardinalis & legatus ſedis apoſtolicæ in Bononia, de quo ſupra *XXIIII.*
fuit mentio. Fuit autẽ dictus dominus Petrus cũ eligebat̃ in Papam *faciunt.*
ſeptuagenarius uel circa, ideo ueriſimiliter nõ potuit diu uiuere, quia
omne ſeniũ tendit ad interitũ, hic quicquid ordinauit & fieri uoluit ꝑ
ipſum dictus dominus Ioãnes Papa tũc diacõus Cardinalis in oĩbus
& per omnia fecit, ob eius precibus, conſilijs aut mandatis, ut exitus
acta ꝓbauit, nullatenus recedendo, & in eius Papatu nihil penitus re
formauit, & omnibus ſtuduit cõplacere, & uix alicui ab eo quicq̃ pe-
tenti à maiori uſq; ad minimũ ſine perſonarũ diſcretione ſciuit dene-
gare. Vnde ſubito poſtq̃ in Papam aſſumptus fuit, adeo deformauit
notabiliora officia ſuæ Curiæ ad importunã inſtantiã multorũ petẽ-
tium, excedendo illorũ numerum antiquũ nulla neceſſitate aut utili-
tate urgente, ꝙ in longo tempore in ſtatũ debitũ uix potuerunt refor
mari, & tam ꝓdigus fuit in cõcedendis gratijs beneficialibus, ꝙ nullã
nouit differentiã inter ꝑſonas, quibus illa fecit, & quales facere debe-
ret, nec modũ, nec ordinẽ debitos & cõſuetos in talibus obſeruando,
fuit eñ in illis practicalibus & agibilibus penitus inexpertus, unde ꝑ
ſe in Cõſiſtorio publico ut conſueuerũt facere ſummi Pontifices rariſ
ſime aduocatos audiuit, & per alios ſibi porrectas ſupplicationes quã
doq; ſignari fecit, aliquos etiã fratres minores ſibi charos & ſociales
publicis officijs & lucratiuis, quæ prius cõſueuerunt regi ꝑ ſeculares
ꝑſonas habiles & expertas in eadẽ ſua Curia præfecit, & miro modo
conabatur pleroſq; fratres minores cathedralibus eccleſijs uacantes
præficere in paſtores, in his præcipue & etiã in multis alijs Papale of-
ficium, cuius grauitatẽ nõ nouit, in breui tempore denigrando, ſuos
etiã clericos apud ipſum exiſtentes exceſſiue fouit. Vnde ſupplicatio-
nũ rotulas ꝑ eũ ſignatas, qui ꝑ dominũ uicecancellariũ ſanctæ Roma
næ eccleſiæ iuxta eius officiũ inter abbreuiatores literarũ apoſtolica-
rum iuxta eorũ ſufficientiam & merita debebãt diſtribui, paſſim di-
ctis ſuis clericos etiã in talibus omnino inexpertis lucri captandi cau-
ſa per ipſos diſtribuit per ſeipſum, per hoc expertos abbreuiatores ſo
litis lucris ſpoliando, & ſuos inexpertos qualitercũq; ditando, etiã in
magnũ præiudicium & damnũ illorũ, ꝗ literas apoſtolicas ſuper eiſ-
dem ſupplicationibus & rotulis cõfici ꝓcurabant. Vnde ualde mul-
tæ falſitates in ſupplicationibus ſub breui Pontificatu dicti Alexan-
dri, qui ſolũ per x. menſes uel circa durauit, cõmiſſæ fuerunt, quia cũ
aquæ ſunt turbidæ utiliter piſcatur in illis. Et etiam uidẽtes talia ipſi
abbreuiatores magis experti ſemper continuari forte nõ fuerũt ita ſo
liciti ad expediendũ mature literas apoſtolicas ſicut fieri debuiſſet, &

multæ literæ in eius camera per ſuos ſecretarios expediebant, ex quibus poſtea ſcandala ſubſecuta fuerũt. Quã ob rem ipſa Curia in tam breui tempore in magnam confuſionem & infamiam eiuſdẽ Alexandri papæ cauſante ſimplicitate deuenit.

De Ludouico Andegauenſi contra Ladislaũ in regẽ Siciliæ pronunciato. Et de nimia facilitate Alexandri in concedendis gratijs. Caput LII.

HIc dominus Alexander recepit inſignia coronationis ſuæ in Piſis Nonis Iulij, anno dñi M.CCCC.IX. & poſtea infra pauca tempora uenit Piſis dñs Ludouicus dux Andegauenſis, quẽ nos regẽ Siciliæ appellamus, filius ſupradicti quondã Ludouici ducis Andegaueñ. qui tempore ſupraſcripti regis Caroli in regno Siciliæ deceſſit, & hũc filiũ uenientẽ ipſe dñs Alexander Papa præcipue, necnõ domini Cardinales de Francia multũ honorifice receperũt, qui & dictus dominus Ioannes Papa tunc legatus ut præfertur ad prouinciã patrimonij beati Petri in Tuſcia cũ cõpetẽti exercitu circa mediũ menſis Septembris proxime præteriti tranſitũ fecerunt, ubi pariter omnes ciuitates, & etiã omnia caſtella quæ ſunt iuris & proprietatis ſanctæ Romanæ eccleſiæ reperierunt eis deuotiſſime atq; fideliter aſſiſtere & fauere, & tandem ad burgũ ſancti Petri in Roma auxilio Pauli de Vrſinis peruenerunt, & ibi caſtellanũ prædicti caſtri ſancti Angeli eis etiã inuenerunt in oĩbus conſentire, ſed illic parũ ea uice profecerunt. Vnde poſtq̃ ibi per aliquot dies manſiſſent recedentes aliqua caſtella rebelliũ eidem urbi propinqua expugnantes finaliter obtinuerũt, quæ tñ poſtea cum pactis eorũ priſtinis dñis de conſenſu dicti domini Alexandri Papæ reſtituta fuerũt. Sed circa finẽ menſis Octobris dominus Papa propter mortalitatẽ, quæ tũc cœpit Piſis aliqualiter uigere uerſus Pratũ acceſſit, ad quẽ Ludouicus rex de ipſa prouincia reuerſus cũ paucis redijt. Interim multi ſui armigeri ipſorũ equis famelicis & macris nimiũ uili uendiderũt, ſcilicet duos equos pro tribus uel quatuor florenis aut citra, ita q; ipſis ridiculum & ludibriũ fuit cunctis hæc uenditio. Ipſeq; dominus Ioãnes Papa tunc legatus circa finẽ mẽſis Nouembris redijt de ipſa ꝓuincia patrimonij ſancti Petri in Tuſcia ad Piſtoriũ, ubi tũc Alexander Papa cũ ſua Curia reſidebat. Sed ante illius aduentũ dictus dominus Ludouicus rex nauali ſubſidio redijt parans ſe ad bellũ cũ domino Ladislao rege ſæpedicto. Præfatusq; dominus Alexander Papa ſtatim poſtq̃ creatus fuit, & ante ipſius coronationẽ multos creauit Archiepiſcopos, Epiſcopos & Abbates, & omnibus illis familiaribus dominorum

norum Cardinaliũ qui eum elegerunt in Papã, qui dictis dñis Cardi nalibus in cõclaui miniſtrarunt adeo abuſiuas & exorbitantes benefi ciales gratias, etiã cum diſpenſationibus ad plura incõpatibilia benefi cia, qui eos petierunt abſq; perſonarũ defectu fecit, ſicuti à ſeculo unq; prius auditæ fuerũt, ita q; cæteri ſaltẽ intelligentes Curiales de indi ſcreta prouiſione ſtupefacti murmurabãt. Videbat enim prædictus Alexander pro nihilo habere titulos eccleſiaſticos, quos tã improui de diuidebat, adiecit etiã dictus Papa in ſignatura dictæ rotulæ fa ctæ pro eiſdẽ familiaribus, q; illam ſignaturã pro eo tã large feciſſet, quia quilibet ipſorũ dñorum Cardinaliũ in eodem conclaui ꝓmiſiſ ſet omnia ſe conceſſurũ quæ ipſi familiares peterẽt, ſi eligeret in Pa pam. Et ecce cũ quanta ꝓuidentia hæc negocia in apicibus ꝓceſſerũt, & q; Papa nõ ex ſuo arbitrio ſed ex cõuentione ſeu pacto præcedenti gratias petentibus facere teneret, nõ inſpectis idoneitate & qualitate familiariũ prædictorũ, & propterea etiã uoluit & adiecit Papa in eius ſignatura prædicta, q; literæ apoſtolicæ ſuper petitionibus ipſis cõfi ciendæ expedirent motu proprio, qui quidẽ motus proprius in gra tijs per beneficialibus factis per Papam dominis Cardinalibus po tiſſime uendicat ſibi locum.

De ſimultate inter Alexandrum v. & Rupertum regẽ Rom. Caput LIII.

ALiud etiã maximũ diſturbiũ & incõueniens in tota Chri ſtianitate ilico introduxit idẽ Alexander Papa, quia in multis literis ſuis præfatũ dominum Venceslaũ regẽ Bo emiæ ſtatim incepit nominare regẽ Romanũ ſupradicto domino Ruperto rege, qui in poſſeſſione tũc fuit regni Romani, ad hoc nõ uocato uel citato, & nullo cõtra eũ præmiſſo proceſſu. Quod idẽ dominus Rupertus multũ ægre ferens, dicti dñi Alexandri obe dientiã propterea in ipſa Germania plurimũ perturbauit, cõqueren do uehementer de ipſo domino Papa oĩbus principibus & alijs potẽ tibus de iniuria & uiolentia ſibi facta ut eius uerba ſonabãt. Et nihil ominus ipſe Papa Ioannẽ Archiepiſcopũ Maguntinẽſem ſubito cre auit in legatũ natũ in ſua prouincia, & quaſdam ualde exorbitantes fa cultates ipſi Archiepiſcopo & q́buſdã alijs eccleſiaſticis prælatis Ger maniæ dedit, & p huiuſmodi facultates indiſcretas & abuſiuas exclu ſit ꝓ maiori parte authoritate ſuarũ literarũ eccleſiaſtica beneficia ex pectantes, in partibus illis quaſdã anormalas diſpẽſationes matri moniales fecit, unde ſibi & eius Curiæ grandis infamia fuit exorta. Profecto de ipſius dñi Alexandri Papæ creatione ualde multi dicti ordinis

Ioãnes Archiepiſcopus Moguntinenſis pronũciatur legatus natus &c.

Franciſcani triumphant.

ordinis fratrum minorũ profeſſores in Curia præſentes mirabiliter lætificati fuerunt, diſcurrebãt enim per uicos & plateas ciuitatis cater uatim ualde multi eorundẽ per ſingulos dies, ueluti eſſent mẽte capti. Idem dominus Alexander Papa in lecto ægritudinis conſtitutus Bononiæ corã ſuis Cardinalibus ad ſe cõuocatis pulchrũ ſermonẽ Latinum fecit, & poſtea infra quatuor dies, uidelicet tertia die mẽſis Maij quarta hora noctis debitũ naturæ perſoluit, anno à natiuitatis domini M.CCCC.X. & apud domũ eorundem fratrũ minorum Bononiæ ſepultus fuit. Dicto Alexandro iam defuncto, præfatus dominus Ludouicus modernus dux Andegauenſis, & ſecundum nos rex Siciliæ redijt à Piſis per mare cum duodecim galeis & VI. nauibus magnis armatis, qui audiens quòd iam Alexander obierat, miſit quendã oratorem ſuum ad Cardinales hic exiſtentes anteq̃ conclaue ad eligendum nouum Pontificem loco dicti Pontificis ingrederentur, recommendando eis dictum dominum Ioannem Papam modernum, quẽ ſuum eſſe ſingularem dicebat amicũ. Sicq̃ factum fuit, ut exitus acta probauit. Et ſic ſit finis huius operis completi Bononiæ per me Theodoricũ de Niem, anno domini M.CCCC.X. in feſto ſancti Vrbani, in quo prædictus Ioannes Papa ſuæ coronationis inſignia recepit Bononiæ. Sit laus & gloria Chriſto AMEN.

Alexãder moritur.

Nomen autoris.

Excudebatur Norimbergæ apud Ioan. Petreium, Anno Chriſti M. D. XXXII.